





13 6
112

DISSERTATIO MEDICA-INAUGURALIS
DE
ANIMI MORBIS,

Quam

FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

1708, 16d.

DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, CETERA,

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII ERNESTI STAHL,
MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.
h. t. FACULT. DECANI,

PATRONI AC PRÆCEPTORIS SUI ÆTATEM DEVENERANDI,

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores, Jura & Privilegia
DOCTORALIA legitimo modo consequendi

d. 10. Jul. A. MDCCVIII. horis ante & pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI


Publicæ Eruditorum Disquisitioni exponet

CHRISTOPHORUS PHILIPPUS SCHMIDT,
Ofnabruga Gueßphalus.

HALÆ MAGDEB. LITERIS CHR. HENCKELII, ACAD. TYP.

DEO,
PATRONIS
ET
PARENTIBUS
Sacrum esto!





PROOEMIUM.



Nota est sententia, quæ Hippocrati tribuitur, ex *Epist.* quam ad *Damagetum* scripsisse creditur, quod *Totus homo à nativitate morbus existat.* Circà quam, quid moneri, seu potius, secundum rerum ipsarum veritatem, aliter intelligi possit, imò debeat, considerandum est è solertiore observatione *Infrequentia* morborum per individua, seu, quod *singuli quilibet homines, ferè rarè atque paucis morbis, per totam vitam suam, affici deprehendantur.* Rectius facturum fuisse videri posset, si dixisset, *solum hominem à nativitate,* aut, si *τὸ ἐν γένεσι* ita accipere libeat, *ex ipsa ratione nascendi,* morbis maxime *expositum esse.* Certè enim, sicuti hominem, omnem, adeoque quemlibet, ab ipsa nativitate morbis ita penitus *obnoxium esse,* ut inde eminenter, tanquam *in abstracto,* morbus, aut verè morbidus, & morborum quasi palæstra, nominari mereretur, contrarium est universali experientiæ; Testimonio non solum individuum innumerabilem, sed totarum etiam gentium numerosissimarum, quæ passim per universam *Americam,*

PROOEMIUM.

intimiorē & ulteriorem *Africam*, imò etiā *Asiam*, in-
 primis *Septentrioni* propiorem; (nempe ab intemperie
 multiplici corporis & animi, quam *cultiorum morum* no-
 mine laudant luxuriosæ, mollesque hinc atque fragiles,
 Europæa in primis nationes alieniorum) non solum to-
 tam, sed passim etiā longam, vitam, citra ullos, aut
 certè ullo strepitu dignos, morbos, absolvunt: ita tamen
 certum est etiā illud, quod *solus homo*, omnis inquam,
 seu quilibet in individuo, & magis idoneus exiit ad
 morbos, & ad plura illorum schemata quasi verè pecu-
 liariter dispositus, quam alia animalia majuscula, & ap-
 parente corporis firmitudine homini quoquo modo, imò
 multa horum etiā vix ullo, comparanda. Si verò hanc rem,
 consideratu utique dignissimam, quantum fieri potest,
 tranquillo atque circumspècto animo, pensitare suscipiamus,
 & in primis, tam quid fieri possit, quam etiā quid verè fieri
 soleat, perpendamus; dispiciamus, inquam, à quibusnam
 occasionibus homines, non solum *citissime*, sed etiā
potentissime, in sanitatis suæ ordine quam maximè
 perturbari possint: Imò etiā hoc ipsum damnum ipso facto
 valdè frequenter experiri soleant: facile erit intelligere,
 quod hoc damni ipsis non aliundè magis impendeat,
 quam è partis, qua *homines* sumus, *rationis* maximè vicio;
inconsultis, *inani- bus*, *intemperantibus*, imò *vebementibus*,
perturbationibus, *actionum* non solum *corporalium*, sed in primis
 ipsarum *visualium* rationes, & *citissime*, & *profundissime*,
 omnimodo verò *potentissime*, confundentibus. Cui rei si ita
 animus adhibeatur, ut etiā quid verè **SOLEAT** fieri,
 decenter perpendatur; quam *sapè*, quam *familiariter*, imò
 quam *communissime*, multarum, in primis autem & *graviorum*, &

PROOEMIUM.

contumaciorum, & citò atque faciliè *rebellium*, ægritudi-
num, non tam solum fomes, sed verum incendivum,
existant *animi* simplices atque nudæ *perturbationes*, & ta-
lium maximè *ADSVETUDINES*; Dilucescet certè inde
verum ingens lumen, pro rectiùs intelligendis multo-
rum contumacium, & imprimis subinde *repullulantium*
morborum, ætiologiis. Adeò certè, ut hac maximè re-
penitiùs expensà, vix fugere possit, tam *ortus* verus,
quam *successus* varius, variarum malæ valetudinis *vicis-
situdinum*, imò *assiduarum* imbecillitatum. Quæ res,
cum tam *THEORIÆ* Medicæ, in *PATHOLOGIA* tam
Physica, quam *Medica*, imò verò etiam *PROGNOSE* at-
que *THERAPIA*, passim lucem scenerari queat; adeo-
que tam scitu digna, quam usu etiam passim necessaria,
haberi mereatur: operæ pretium me facturum putavi,
si *SPECIMINIS INAUGURALIS* loco, quod mihi e-
dendum incumbit, hanc ipsam rem, quantum fieri po-
test, aut certè expedire videtur, studiosè exponendam.
mihi sumam de *ANIMI PATHEMATUM* considera-
tione maximè *MEDICA*, sermonem habere suscipiens,
seu, cum bona tamen venia vocis, usitata loquendi for-
mula receptæ, de *ANIMI MORBIS*.

Hoc meum propositum, ut ita exsequi mihi obin-
gat, ut & veritatem fati perspiciam, & perspiciendam
producam, & utilitatem etiam eo ipso assequar, illustran-
dæ doctrinæ Medicæ *intervientem*; imploro meritò
præsidium & *auxilium solius fontis & originis*, ut omnis,
ita hujus etiam *VERITATIS*, qui mihi, voto, certè ne-
que frivolo neque inani, feliciter potiri, clementissimè
largiatur.

DE ANIMI MORBIS differere dum aggre-
dior, removendæ utique sunt ambiguitates, quæ
confundere lectorem, & ab assequenda nostrâ
mente, nedum rei ipsius veritate, distingere,
quoquo modo valerent. Unde antè omnia,
ANIMI quidem nomine, nihil aliud intellectum velle edi-
cimus, quam ipsam *Animam humanam*, à potiori suo actu,
rationalem dici solitam; simul tamen utique, ex nostrâ,
& totius propemodum antecessorum Medicorum chori,
sententiâ, *motuum* corpori inducendorum comporem: se-
cundùm omnium autem etiam, quantumcunque cætero-
quin discrepantium factionum, unanimem consensum, *vo-
luntariorum motuum directioni*, involuntariorum autem,
etiam nobilissimorum atque potissimorum, *perturbatio-
ni*, parem. Per MORBI autem vocabulum, non hic de-
notamus læsionem in ipsa *rei substantia*; qualis in *corpore-
arum* partium vitiis aliâ hoc nomine designari consuevit:
sed usurpamus partim commune hoc nomen, tanquam usu
vulgari receptum: partim etiam, quia aliud nullum com-
modius præsto est, præter alterum etiam, nec ipsum etiam
usu minus probatum, *Pathematum Animi*. Cum enim *Sym-
ptoma* quidem vulgò definiri soleat, quod sit læsio *actionis*,
(quo sensu etiam de *animo* dici posset) sed, à *læsione substan-
tiæ* partis, cujus illa *actio* esse debebat, dependens, (quo sen-
su de *anima* dici non posse, satis apparet:) præterea vero, *mor-
bi* quidem nomen, etiam familiarius de qualibet *constitutio-
ne p. n. generali* acceptione, prædicari quoque soleat; cum
symptoma, vi præterea ipsius nominis, simpliciter specialius
quiddam, unâ eveniens, designet: sumo mihi propterea,
sed tamen cum bonæ veniæ præfatione, hanc libertatem, ut
MORBI vocabulum, in acceptione *generaliore* hic et-
iam tantisper adhibeam, quod proinde nemo, semel, & in-
primis in ipso limine præmonitus, vitiose accipere magis,
quam vitio nobis verterè, salva æquitate poterit. II.

II.

Imo verò, cum etiam quantumcunque *strictissimo* sensu sumi atque dicti morbi, quamvis *corporearum* partium ipsam *substantiam* afficiant atque lædant, non tamen propterea illam simpliciter *corrumpant*, & in solidum *disperdant* atque *destruant*; sed, si vel maximè de illa aliquid subigant atque disperdant, non tamen hoc absolutè, sed solum *ad tempus*, ita perpetrent, ut illud etiam cum tempore reverà *reparari* & in integrum *restitui* possit: Ita certè etiam *perturbatio* ipsius *Animi*, quæ rectam ejus & ordinatam *agendi Ideam*, tantisper interrumpit, ut inde alienior *Idea* velut *inseratur*, & secundum illam actiones tantisper perperam exercentur: Tamen hoc ipso, ipsam *Animæ substantiam* corrumpere, non necesse habet, quin ad *actiones* tamen ejus assatim disturbandas sufficiat. Ubi nempe etiam sobriè utique accipiendæ sunt, locutiones illæ familiares, *Animam esse ἀνάδηα*: quamvis enim in ipsa sui *substantia destructionem* nullam subire, credi possit; dum tamen variè utique mediatè *impediri* atque *percelli* potest, non confundenda est hinc *ἀνάδηα* illa ejus secundum sui *substantiam*, cum *patibilitate* secundum *intentionem* & *inventionem*, imò *mediatam potentiam* agendi, quatenus nempe *Anima* ad corpus refertur, imò verò ad illud ipsum *respicit*, & cum ejus necessitatibus *consentit*, & veram ac realem *σύμπραξηα* subit.

III.

Ut rem breviter æquè, ac ex ipso fundamento, expediamus, prædicimus, loqui nos, non de *Animo* seu *Anima*, in se, & secundum propriam sui *essentiam* consideranda, utpote à quo, sterili certè, coëpto alienissimī sumus; sed de *Anima*, quatenus & à *sensibus*, & *corporalibus* impedimentis, in suis *agendi* methodis *perturbari* potest: & ipsa, *vanis* Idearum *effectionibus* exagitata, tam de rebus *sensu* perceptis aut percipiendis falso judicare: quàm, secundum falsas tales *estimationes*, etiam *Morus* varios *perperam*, *instruere* ac *dirigere*, valet. Sicut etiam, eodem respectu, de *Animi pathematibus*, qua-

quatenus simpliciter *Animi* esse, dici, aut haberi possunt, nequaquam nobis hic est sermo: sed quatenus ita cum *corporis actionibus complicantur*, ut & ab harum variis impedimentis, illa pathemata *ortum* suum trahant: & aliunde, etiam simplicius ut in *Animo*, enasci visi, tamen vel propter *estimacionem corporearum necessitudinum*, velut efformata sunt: Vel in perturbationes corporeorum *regiminum & actuum* redundant.

IV.

Quo ipso facilè erit simul intelligere, quod quidem nequaquam cordi habituri sumus, *impeditas* illas, imò uti nobis videtur, simpliciter *inanes*, considerationes, de *substantiali habitu anime ad corpus*; cur, quomodo, & quatenus, anima ut *immaterialis*, non possit, aut etiam possit, commercium aut potestatem habere, in *corpus*, aut *actiones* corporeas. Sed sufficiet nobis, ante omnia quidem veritati *res rei*, rei ipsius uti sit, & in hac parte, veluti *historie* nude, insistere: Deinde verò, in indicanda vera *ratione*, quatenus anima *mediante* corpore lædatur in *activitatis* suæ ordine, & ordinem actionum corporis etiam *interrurber*, è fundamento solido indicasse, atque, quantum fieri potest, deduxisse.

V.

Quamvis autem neque deceat, nec etiam nostri sit propositi, illam methodum pervertere, quam semper utique optimam atque simplicissimam judicamus, ut à rerum ipsa *historia* facti initio, ad considerationes demum atque *rationes* progressus fiat; Licebit tamen, imò si res decenter perlustretur, plenum jus & fas omninò nobis erit, tanquam id ipsum quoque *historicè*, de *actionibus* Animi paucissima illa quasi præmonere, quæ ad *generalem* quasi distributionem negotii nostri viam nobis sternere possint. Ubi nempe, cum tres sint actiones Animæ, *Intellectus*, *Voluntas*, & hujus *Executio* per *media* convenientia; laborat ipse Animus etiam secundum has veluti tres supremas classes, ut vel ipse *Intellectus*, seu vera rerum *apprehensio* atque *estimatio* turbetur; vel *Voluntas*, appetitus aut aversio, perperam instruat: vel *Inventio*

rio atque *directio* ad verum, iustum atque debitum *finem*, alieno modulo tentetur, adeoque non solum in irritum, sed sæpe penitus in damnum, exeat atque cedat.

VI.

Secundum hanc considerationem, veniunt primo loco in conspectum, varia animi offendicula circa ipsum *intelligendi*, atque secundum rationales subsumptiones *statuendi*, negotium. Ubi quidem non jam æquè de congenita quasi *tarditate* ingenii, imò secundum diversos gradus magis magisque intensiore *stupiditate*, prolixi erimus, sed sufficere nobis brevibus monuisse, quod etiam hic ipse talis promptè dijudicandi defectus, partim quidem ceu hæreditario jure a parentibus ad infantes transeat; partim autem etiam cum organorum conformatione ita conspiret, ut etiam ex aspectu ipso externo, adèd manifesta velut indicia eluceant, ut notabili illa, hominibus in genere *connata*, *Physiognomie* intelligentia; à quibuslibet non planè ipsis quoque stupidis, mox agnoscat, quod hujusmodi *configuratione* instructum subjectum, tanquam characterem referat stuporis: *der sehe dummi aus; sehe geestlich/lächerlich/albern/thöricht/aus.* Ubi, licet ipse etiam actiones, & ipsi usque simpliciores, nudi gestus seu mœurs, jam luculentius indicii genus præbeant; tamen ipsam etiam usque nudam corporis conformationem hic in meritissimam considerationem venire, testatur facilis hujusmodi indolis agnitio etiam è nuda *pictura*; imò vel solum nudis *verbis* describenda conformatione, sine ullius alterius gestus, nisi qui ab ipsa *configuratione* in primum conceptum cadit, allegatione: qualia quidem ita etiam vulgò nota sunt, ut mentionem illorum ampliolem facere, vix sit operæ pretium, postquam & antiqua verior historia, sub præfiguratione *Æsopi*, nonnisi miraculo à stupore liberati, & fabulosa descriptio *Marcolphi*, quantum ad *physico-moralem* scopum, etiam ex ipso aspectu abominabile schema fatui atque stolidi individui representandi, veritate colorata,

B

ta,

ta, harum rerum tanquam solidum exemplar dudū suppeditet. Corpus nempè, trunco spisso atq; rudi, quam exasciata figuræ similis; crassitiem indistinctam & indiscretam, ejusdem tenoris, eina Dicte: staturam, longitudine ad latitudinem comparata, brevem, wie ein Sonnensäß/ & quadratam: Caput globi more Cyclicum; frontem nullam, aut retrò recedentem, sicut etiam mentum: prominente interim naso, eoque brevi, & cujus apex ita sursum fatiscat, ut narium foramina hient ad conspectum: Os prominens, aut sponte ipsa, tanto magis autem sub risu, alieno tempore, & austerâ fronte, oculisque rigidis, suscepto, latè in transversum dehiscens: oculos extra sedem suam protuberantes, præter faciei proportionem majores, quorum tota, quæ vulgò dicitur Iris, extra palpebras promineat: & fixo communiter obtutu pingros, aut gestum illum exprimentes, è quo, si etiam aliis hominibus sui rectius compositibus aliquando obtingat, transitoria talis, strictissimo vocis sensu, locordia, quam Germani exprimere solent, Man habe sich vergessen oder vergessen/ dencfe nicht an sich selbst/ seye so lang unbesonnen/ &c. Porro caput tale, sine cervicè scapulis immersum, (nullo alio accidentali infortunio, conformationem per vim lædente, sed hic velut ex instituto delirante principio plastico) corporis totius, ut in se inhabilis, & ad agilitatem quamcunq; caudicis instar, inepti, gravitatem; aut si agilitas affectetur, ridiculas ϷϷϷϷ: simulq; longè majorius desidiæ, inò indecentis sub sedendo quasi decubitus, occupationem, & promptus ad obdormiscendum habitum. Quibus rebus si alios actus, qui è conspicuis gestibus agnosci possunt, jungere liceat, faciliè ibi agnoscantur, obtutus stupidus, aut secundum inconsuitas suas libidines, absque omni considerantia manifestò cogitata qualiacunq; prodens risu, seu potius rictu, ab omni opportunitate alieno, & faciliè, si civiles æstimationes, adhiberentur, pro injurio in alios agnoscendo: aut interpellationibus alienis & inconsideratis, characterem suum quasi

quasi proclamante animo: voracitate præterea, & intempe-
 rante ad gulam satiandam impetu: voce etiam ferè rauca &
 odiosa, & reliquis quoque indiciis, si qua melior cogitatio
 fortè inciderit, illam sub ipso modo proponendi dehone-
 stantibus. Qualis certè constitutio licet ad nostræ tracta-
 tionis Morbos Animi quoque referri mereretur, quoniam
 tamen consultationem aut auxilium *medicum* non admittit,
 sed physicè pro *immedicabili* habenda est, non occupabi-
 mur propterea circa illam prolixius, sed satis erit utique in-
 dicasse vel hoc uno exemplo, quod *morbustalis Animi, im-*
potentia inquam talis veræ energiæ *intellectivæ*, omnino de-
 tur: & talis quidem, qui etiam in corporea organa, eorum-
 que inconcinnam efformationem æquè, atque usum, tam
 activitate quam ordine, inconditum, redundans, meritissi-
 mum dubium relinquat, an magis ad *agentis* ipsius vicio-
 sam energiæ referri debeat, quæ & organa sua absurdè ef-
 formet, & illis etiam ineptè utatur: an verò, præeunte orga-
 norum vitio, ineptitudo illa ad legitimarum actionum ad-
 ministrationem atque liberum exercitium inde sequatur, i-
 mò quasi dependeat.

VII.

Defectus autem hujusmodi, qui verè, & veluti mani-
 festè, ipsum potius *Animum*, quam ullo modo corpus, aut
 quicquid tandem corporeum est, directè feriant, sunt ante
 omnia falsæ præfigurationes *estimativæ*, quæ non tam à
 corporis, aut *corporeorum* quorumlibet objectorum vera
physica quacunquè, proportionè aut habilitate, quam
nuda, temporaria atque *transitoria* mentis *fitione* po-
 tius (absoluta inquam ipsius mentis operatione) de-
 pendent. Hujusmodi sunt ante omnia, intentissima, & vulgò
 mixtam rem designante vocabulo, (nempe animi & corpo-
 ris junctas atque complicatas *angustias*) notare solita, *anxia*,
 tum *cupiditas*, tum *aversio*, quæ per erroneam *matris* in-
 tentionem, *Animo fætus* etiam in utero adhuc existentis, i-
 ta communicatur & imprimitur, ut ille per totam vitam
 suam

suam, ejusdem *opinionis* vel indelebilem impressionem conservet. Inprimis, dico, vel *appetitum* atque *desiderium* inordinatum, rerum, vel penitus *insolitarum*; vel, prerogativa certè quacunque minimè dignarum, nisi è nuda simpliciter arbitraria seu obstinata *electione* voluntaria; vel etiam *aversionem* atque *odium*, imò *metum* prorsus *anxiam*, rei nihil quicquam tale, neque *physicè* neque *civiliter* aut *moraliter* promerentis: v. g. *muris*, *felis*, aut certi *edulii*, non tam solum quoquo modo *aversione* aliqua digni, v. g. *Casii*: sed etiam, quod quidem apprime notandum est, *boni*, imò *delectabilis*, quin magno desiderio petiti, verum non *impetrati*, adeoque cum indignatione, post longam inanem expectationem, fastiditi.

VIII.

Enimverò tantus utique est hic *Animi* error, qui ab ejusmodi erronea *matris* impressione originem trahit, ut etiam ad perverse instituendas *Oeconomiae* corporis ipsas *conformationes* sese extendat, notissimo exemplo *nevorum*, alienissimæ inquam, & prorsus omninò insolitæ *efformationis* non solum effectu: sed, quod propemodum *palmarium* est, etiam jam decenter factæ *efformationis*, repentina quoque *dissolutione*, seu, exquisito planè sensu, semel jam factæ *structuræ*. Siquidem neminem qui *animum* vel *mediocriter* adhibet, fallere potest, quod potissima *energia* *nevorum* maternorum, locum quam maximè habeat à *mediocritate* am *gestationis* tempore, ad ipsum usque partum: nempè, non *delineato* fortè solum, sed jam verè *efformato* corpore, mensura solum arctiore: cum tamen interim ab hujusmodi *occasionibus*, integræ diffusioris atque variæ *texturæ* partes organice, in aliam penitus *conformationem* transferantur, manifestissimo *duplici* actu, nempè non tam solum ipsius *specialissimæ efformationis*, quam etiam necessario præmissæ *dissolutionis atque destructionis*, jam factæ, imò perfectæ *pristinæ* *structuræ*: de quâ re infra adhuc aliqua dicentur.

IX. Non

Non placet prolixius, quam sola mentione injecta, allegare, multiplices hujusmodi, sed constantes, impressiones *Animi*, ex *yeve* & incutitas, quæ magis simpliciter circa *moraalem* affirmationem, aut *opinionem*, versantur: quale quid v. g. historis proditum est, de Jacobo I. Scotiae & Angliæ Rege, qui *gladium evaginatum*, sine summa animi perturbatione conspiciere non valebat, &c. Faciemus potius progressum ad illas, languentis & *conculsi* Animi, species, quibus ille & in se variè percellitur, & in actionibus suis rectè præstandis, sensibilissimè impeditur. Harum primum schema est ANXIETAS: à simplici, absque omni *rationabili* causa aut Idea, tacito quasi, imò recondito, *metu*, *morore*, aliarum rerum, quantumcunque etiam acceptarum, non solum *oblivione* aut *neglectu*, sed etiam *fastidio*. Quam rem Germani nostri ita variè, imò subindè horridè, exprimunt, es seye ihnen so ängstlich/ das Herz so schwehr/ seyen so betrübt/ als ob ihnen was grosses begegnet wäre: möchten immer weinen: wann es sie so anwandele/ seye ihnen alles zumieder/ möchten nur gern ganz allein seyn/ (imò in importuniore constitutione, möchten ihres Lebens quit seyn) es verdrieße sie alles/ können niemand um sich leiden: können nicht in einiger contenance dauren oder aushalten/ sondern seye als wann sie müsten aus der Gesellschaft hinweg gehen: seye ihnen zu muste/ als wann sie etwas grosses/ einen Mord/ begangen hätten: als wann ihnen die ganze Welt zu enge wäre: als wann Himmel und Erden auf ihnen läge/ als wann sie vergehen müssen/ &c. quibus rebus familiarissimè, imò vix non inseparabili nexu, junguntur etiam illa *corporeorum motuum* vitia atque tumultus, ut ante omnia *COR*, gravi *palpitatione* afficiatur; *respiratio* angusta, inæqualis, laboriosa, suspiciosa, reddatur: *tonicus* etiam *motus* sanguinis, iisdem modis pervertatur, ut in *mortali terrore* atque *timore*, etiam simpliciter sæpe *imaginario*, fieri solet: Nempe ejusmodi *stricturis fluctuantibus* partium corporis porosarum sanguiferarum, ut inde jam

frigidus horror, pallor, & aspectus extenuatus, jam volaticus æstus, repentinus rubor, & sudor intempestivus atque brevis, succedat: cum concurrente æquè, atque diutius insidente, ingente lassitudine, & trepidabunda virium destitutione.

X.

Illud quod de hac labe Animi rectè discernenda maximè notandum veniat, est ante omnia illa diversitas, quod aliis quidem subjectis tanquam *perpetua* existat, *remississimo* præcipuè gradu; aliis autem non nisi per *occasiones* satis *proportionatas* eveniat. Prioribus illis quidem, quam maximè per *occasiones morales*, & velut à solâ maximè *æstimatione* pendentes: posterioribus autem, magis propemodum à *physicis* causis, non solum verè existentibus: sed etiam sollicita, & quantumcunque *meticulosa*, propter incertos noxios successus & exitus, *suspensione* non indignis. Ab ejusmodi videlicet *corporalibus* utique *angustiis*, *occlusionibus*, *obstipationibus*: aut ad minimum *propinqua* similium rerum, seu ut in scholis loquuntur, *proximâ potentia*: Unde *corruptionum pericula*, imò *mortis* ipsius, ingruere possint: nedum à *corruptelis* hujusmodi *energiæ*, non tam amplius *gliscenibus*, quam jamjam *vigentibus*, aut ad minimum *fientibus*, & sub manu, quod vulgo dicitur, *pullulantibus*, (ut in *acutis contagiosis*, *putredinose fermentationi* innitentibus.) Sub quarum omnium atque singularum rerum *energia*, *justum* utique & *æquum* est, *sollicitam*, *anxiam* atque *dubiam* esse *mentem*, ut in *periculosis*, imò vel *capitalibus*, corporis sui rebus. Unde, quidem *anxiositates* tales, si vel maximè sine manifesta aliqua *cogitabunda* ratione, & inprimis *justo* aliquo *objecto Speculativo*, in hujusmodi casibus cooriantur, non sunt tamen propterea, secundum *corporalem* ejus temporis constitutionem atque *periculationes*, à *recta ratione* alienæ: sed habent omnino *objectum rationabile*, nempè, si etiam *circumstantiæ* ejus temporis exquisitissimè *expensæ* atque *æstimate*, quacunque *cogitatione* volverentur, nihil *justius* fieri aut videri posset, quam ut *sollicitudo* ingens, imò *in-*

cer-

certitudo anxia de periculossimo talium rerum exitu, inde nasceretur.

XI.

Unde quidem vix ulla profusus morborum, quantum curaque *dubiorum* ac *impeditorum*, occurrit species, in qua hujusmodi *anxietates* non concurrant aut intercurrent: maxime omnium autem eò certius, imò & fortius, quantò *verius* & *gravius* subest *periculum*. Interim nec illud ignorari vel debet, vel propemodum, si leviter etiam adhibeatur animus, ferè potest, quod non solum secundum *animi mores*, per individua certissimus hic fit talis parallelismus, ut ad *morales* angores atque timores proni, etiam infallibiliter tantò certiores, promptiores, & fortiores hujusmodi *anxietates* incurrant, in *morbidis* corporis *periclitationibus*: sed etiam familiariter, verè *speculabunda* meticulosa perturbatio in hujusmodi casibus admodum familiariter utique concurrat. Simul tamen etiam satisfacilè erit observare atque dignoscere, quod omninò & multi hujusmodi patientes, *anxietate* illas satis eximias experiantur, etiam citra ullam probabilem *Animi* directam *speculabundam*, nempe *moraliter meticulosam*, commotionem: & in illis etiam, in quibus ejusmodi *moralis* perturbatio verè complicatur, neque semper æque *tempore*, nec in primis etiam *mensura* satis probabiliter consona, ejusmodi *anxietatis* magnitudo, aut universa reliqua ratio, compareat, sed evidentius omnes circumstantiæ indicent, quod alia *certitudo*, quam simplicis fluctuantis *timoris*, hic sublit, consona nempe utique veritati ipsius rei, quæ *physicè* in corpore fit atque viget.

XII.

His hujuscemodi anxiiis *Animi* commotionibus, quarum manifestò non solum *conscia*, sed etiam *particeps* evadere agnoscitur, *Mens* humana seu *Animus*, ponimus merito ad latus *Somnia*; de quorum etiam familiari & veluti quotidiana frequentia & promptitudine, uti frustra esset prolixè loqui, ita attendi tamen meretur notissimus illorum, nec infrequens qui-

quidem, habitus, tam ad res *præsentēs* in corpore, quam physice etiam eidem *impēdentes*, sive in illo *pullulantes* atque subnascentes.

XIII.

Qualium quidem rerum tantò dignior consideratū est indoles verè *speculativa* atque sincerè *intellectualis*, dum frequentissimè, imò verò communissimè, non tam directè, secundum propriam & specificam sui *ideam*, sed potius vel sub *generalis* conceptu, vel sub præfiguratione solum *tropica* & *assimilatoria*, sese exerunt. Dum v. g. *sanguinis* floridi atque fervidi plenitudine affluentibus, jam de rebus *rubris*, jam de repentinis *incendiis*, rarius de ipso *sanguine*, *somnia* obtingunt. Aut *serosa* abundantia affectis, molestus & periculosus transitus per *vada*, imò per profundiores *gurgites aquarum*, cum præsentissimo periculo, imò sæpenumero velut actu *submersionis*, obtingit per *Somniæ* representationem. Ita etiam ex utralibet causa proximè ad morbidam debilitatem dispositis, sæpenumero *somnia* eveniunt, molestissima atque laboriosissima *fatigationis*; sub qua jam per planum incedendo, tamen ita vires deficient, ut exsequi propositam viam non liceat, quin residendo quies quærenda veniat: Vel aliis tanquam montium juga scandendo tentanda, sed præ summo virium defectu minimè attingenda, videantur. Ut de aliis longius, sed tamen per qualemcunque *similitudinem moralem* aliquid præfigurantibus somniis, nihil dicamus. Ubi, licet in *somnia*, *mortem* ipsam, aliquando etiam per plures adhuc septimanas cessantem, satis probabiliter *præscientia*, simpliciter & absolute *physicis* causis asserere, non contendamus: Pro certo interim omninò amplectimur, quod etiam nihil horum planè simpliciter & absolute eximi debeat *physicis* causis, in primis autem earundem concursui.

XIV.

Cæterum tam *vigilum* ardedictarum *anxietatum*, quam *somniorum anxiorum* sensui, annumerari merentur, tam varii
pavo-

pavores sub somno, inprimis sub expergiscendo *memoriam* aliquam *terroris* adhuc retinentes, ipsa *Idea* quadam seu *simulacro metuculoso*: Vel eo ipso tempore, dum expergefiunt ita affecti, inconditum quendam *angorem Animi*, & *perturbationem mentis*, adeò formantes, ut nota sint hujus generis, neque vero etiam rara adeo, exempla, ubi hujusmodi patientibus, dum ita *pavidi* expergiscuntur, tanta *Animi* summa *consternatio* obtingat, ut mentis potestatem amittere tantisper mutant, neque nisi sub summè *trepida cordis palpitatione*, ac *anhelitus laboriosa*, & tanquam summè, *meticulosa*, difficultate, sensim demum iterum ad tranquillitatem conquiescant. Ubi tamen quid in hoc etiam casu possit *Animi indoles* secundum individua, magis ad speculandum & multum varieque cogitandum prona, neminem non planè stupidum, fallere potest: simul autem nec illud subterfugere, quod tota princeps energia hic inprimis sit ipsius maximè *mentis*, & ejus *fluctuationum*; ad quas etiam reliquæ *physicæ* causæ, non tam *corporei* alicujus medii aut instrumenti rationem habeant, quam simpliciter potius *estimatorii* seu *estimabilis* objecti ordinem tueantur: adeoque nullis, nisi ad *estimandum* valde promptis ingeniis, maximè sensibilis molestia inde impendat.

XV.

Ægri tudines Animi, partim à *civilibus* atque *moralibus*, partim etiam à concurrentibus qualibuscunque *physicis* occasionibus, ortum ducentes, & jam in corporis *Oeconomiam motoriam* redundantes, jam ex illa, corporis inquam *Oeconomia*, impedita, in ipsum *Animum* ingruentes, & illum obturbantes, veniunt meritò in considerationem. Sicut enim variæ hujusmodi commotiones ipsius *Animi*, verbi gratia: *Ira*, præsertim autem *Iracundia*, *desiderium* etiam ingens & assiduum, *gaudii*, vana quoque, sed tamen intentissima, *opinio*, functiones *vitales*, præcipuè quas *mentis* appellare solent, varie afficiunt & alterant: ita notis-

C
simum

simum etiam est, à *corporalibus* rebus, quatenus *molestiam* insignem, aut denique *periculum*, facessere aptæ nate sunt, etiam ipsi animo velut affricari labem ejusmodi; ut verbi gratia: radicata quadam molestissima, imò *periculosa*, *internarum* nobilium partium, mala dispositione, *Scirrhusa*, *ulcerosa*, imò actu *ulcerata*, patientes ita affecti ad *iracundiam*, ad *merorem*, ad *timorem* atque *pavorem*, ad *fastidia*, & omnis bonæ *spei* amissionem, ad minimum temporariam, proptissimi existant. Adeoque verè reciproco damno, mentis perturbationes tales corpori: & corporis periclitationes, etiam ipsi menti in hoc ordine laborem facessant.

XVI.

Ubi quidem maximè notabilis & illa inprimis, notissima etiam in vulgus, *conspiratio*, quando molesto quodam deposito, (seu vulgo dicta *causa antecedente*, in *proxima potentia* energie sue exercendæ constituta, vel etiam indelinerenter molesta *estimanda*,) obsessi, quoties insigni *Animi pathemate*, maxime omnium autem *iracundia*, percussuntur, toties exacerbantur etiam conatus, ad ejusmodi *molestam rem amoliendam* & excutiendam, quoquo modo collineare apti: (quod de *Calculo*, & foemineis *menstruo-hypochondriacis* impedimentis, aut ab hoc initio adiuventis vitiis, etiam in vulgus notum est: sicuti vicissim, tam è magnis *iracundiis*, quam *terroribus*, exorientes *convulsivi* affectus, nimio plus obvi existunt.) Quæ quidem res, uti simplicissimè, ita, quantum nobis videtur, verisimillimè, eandem fieri rationem habet, circa has excussiones è *vitalibus* partibus per actiones *involuntarias*, (juxta considerationem verè voluntariorum, nempe cum *cogitato proposito* fierentium;) qualem alias habet excussio per motus *voluntarios*, quando insignis *Animi* commotio, præcipuè *iracunda*; quin etiam *irépida*, præcessit. Ubi nempe, si non directè in ipsum *objectum iræ* aut *formidinis*, depellendi, subigendi, aut quoquo modo amoliendi, *intentio* exerceri seu in actum deduci potest; familia-

lia-

liariter actus tales exercentur in quaslibet alias res *obvias*, vel ut in genere *molestas* aut *suspectas*: vel ex alio quidem capite, sed, tamen etiam in specie, quoquo *molestie* nomine exofas. Unde vel pueris notum est, quid sibi velit dictum illud Germanorum, den Zorn an einem anderen auslassen / als der ihn veranlasset: Eines andern entgelten müssen / wann man dem Zornigen eben in die Hände gerathen / &c. Nihil aliud enim certè est, quando verbi gratia: *Calculus*, res non solum toto genere p. n., sed etiam actuales aliquas *molestias*, licet non æquè valdè in crassum sensum cadentes, sæpius objiciens, in corpore præstò est, quem expelli, & corpus ab illo liberari, certè sanæ rationi consentaneum esset: Si in tali subjecto inprimis *iracundia* insignis oriatur, cooriri etiam inde tantò promptiorem *intentionem*, domesticam illam in ipsa corporis Oeconomia *molestiam* emolendi: siquidem *paroxysmus* calculosus maximam certè partem nihil aliud esse certius agnosci potest, quam *apparatus motorius ad propellendum & expellendum calculum*: *Spasticis* nempe *stricturis* ureterum, non solum circa pelvim, sed longitudinem etiam ipsorum; adeo etiam ipsa *vehementiâ* excedentibus, ut inde quælibet *placantia*, & nimios imperus *moderantia*, vim talium paroxysmorum quam maximè mitigent.

XVII.

Qua quidem, in re alias *speculationes*, circà *materialem* potius energiam, quæ in his negotiis exacerbationes introducat. in solidum perfundat circumstantia illa, etiam in vulgus satis nota, quod *iracundia*, etiam *enormis*, vel nullam, vel longè minorem facessat commotionum talium morbidarum in ipso corpore molestiam, si modo in ipso sui *directo objecto* illam *satiari* contingat: unde notissima est, & vulgatissima, illa observatio, daß ausgelassener Zorn nichts / oder doch gar wenig / schaden an seinem eigenen Leib bringe / gegen den zu rechnen / den man verdrucker / seu vulgi vocabulo, in sich frisset. Quæ interium res longè luculentius respondet usitati illius *moralis* effectus

ctus phænomeno, ubi pariter *ira* facilè & affatim *fatiata*, nulli alteri *occurrenti* novam ulteriorem pericitationem portendit: Benè verò illa, quæ non *fatiata* adhuc, solum *gliscit*, & idoneis *objectis* imminet, &c.

XVIII.

Porro, absolvunt censum *Animi passionum* cum *corporeis* causis aut effectibus *consentientium*, *durabiliores* æquè, atque magis magisque *extravagantes*, *mentis alienationes* & *inignes errores*, quos vulgò generatim sub *deliriorum* nomine complecti solent Medici. Horum diversitas consistit primo in ipso *objecto*, quod alibi magis velut *indifferens* aut *accidentalibus*, vel ad minimum *temporariis*, ejus temporis & illorum individuorum, occasionibus aut moribus, respondet: aut magis veluti *statum* atque *determinatum* est, certas adeò *species* utquam propriè circumscribens & absolvens: Ut in *Melancholia*, *moesta*, aut *meticulosa* opinio; in *Mansia iracunda*, imò *truculenta*, ad *vim* tota intentione proclivis, imò verò contendens; in *Furore uterino*, impotenter *impudens*: in *Erotomania personali*, speculabunda & amorosa, *uni* magis *certe persone*, *nunciis*, *epistoliis*, *blanditiis*, fingendis aut sperandis, tota intenta &c. secundò: sunt Deliria alia *acuta*, alia *Chronica*: Tertio: alia *activa*, & *actionibus* absurdis quam maximè imminetia.

XIX.

Secundùm hos respectus sunt ferè *acuriora deliria* etiam simul ratione *objecti* magis *indefinita*, sed circa ejus maximè *temporis* condiciones occupata, *metum mortis*, aut *præfugia* ad minimum ejus, & horum *similitudines* qualescunque: dum verbi gratia, *angusta* sibi omnia esse, *aliena*, *domi sue se non esse*, in lecto *peregrino* jacere, *squalida* omnia & *aversione* digna quæ circum ipsos versantur, judicant: unde *digredi*, *evadere*, *liberare se*, ad *sua*, ad *meliora*, proficisci, tota intentione contendunt. *Diuturna* verò deliria, habent plerumque certum magis quoddam atque *definitum objectum*; unde,
præ-

præter stuporem, & puerilem quasi stultitiam, *Melancholia* vel *moestis*, & tanquam *irreparabilibus*, nec ulla compensatione sarcientiis damnis, omnium rerum, quin ipsius vitæ pericula, inhæret: vel, gravium *periculorum*, *machinationum*, *insidiarum*, *carceris*, *suppliciorum*, phantasiis insistit: *Mania*, aliis hominibus actu *nocendi*, eorumque corpori aut vitæ, etiam per captatas, & ipsa simulatione insidiosè quæsitæ *opportunitates*, gravissima damna inferendi Ideis, tota invigilat, &c.

XX.

Quæ verò non tam æquè à *corporeis*, quam potius simpliciter *speculabundis* initiis introductæ sunt *mentis* aberrationes, illæ retinent etiam interdum phantasma ejus rei, circa quam primitus maximè occupata fuerunt: transeunt autem, aut evagantur ad minimum simul ad alia, & inprimis quidem à *peccatis* deliramenta: præcipuè tamen vel reliquis ipsius individui *moribus* consentanea, vel illi ipsi *objecto*, circa quod occupantur, consona. Uti, verbi gratia, qui è malè concocta *superbia*, *Dominos se*, *potentes*, *principes*, esse volunt, *imperiosi*, *iracundi*, *violentis* sunt: Qui è *literariis*, præter ingenii sui, & inprimis *memorie*, modulum, nimis *coacervationibus* confunduntur; *impatientes* sunt, *indignabundi*, quin ipsi etiam *iracundi*, &c. Post tales tamen, sicut è *speculationis*, potius evagatione, quam aliis *corporeis* vitiis, initia sua sumunt; & speciales etiam perturbationes, & inprimis quasi magis directas, *corpori* non æquè inducunt: ita non tam prolixè illos persequi, quam quidem cum corpore magis conspirantia deliria placet.

XXI.

Imò verò, non abs re erit etiam hoc ipso loco breviter monuisse, quod ipsa etiam *Mania*, valdè frequenter, magis à malis Animi *moribus* simpliciter, vel introducatur, vel etiam *foveatur*: quam ut *directam*, aliquam occasionem aut fomitem, à *corporeis* proportionatis causis arripuisse videri possit. Ita enim certè tam alias *iracundioris* & *audacioris* Animi sub-

jecta, & sub *deliriis* etiam aliunde prognatis, multiplici *contradictione* & *altercatione* domesticorum, sæpius & fortius exacerbati, incurrunt præ aliis *manica violenta* deliria; cum à simpliciore horum generum *corporali* concurrenti modo, vix, aut certè rarissimè, *Maniaca truculentia* quasi directè propullulare, observetur. Ita certè etiam talia *manividea* deliria, quæ satis conspicuis exemplis aliquando à *spectrorum phantasmatis* exoriuntur, uti *mentem*, sub ipso illo phantasmate, tanquam medio inter *timorem*, & *audacissimum* resistendi conatum, seu quasi necessitatem, medio loco detinent: ita habent quidem verè etiam perpetuum hoc idem *schema*, ut partim summè *anxiotimore* patientem percellant: partim autem, propius appropinquantibus, summâ & quasi desperata *audacia* invadere efficiant. Interim nemo fuerit quin videat, quod universa hæc vehementia, magis ab impressione *speculativa*, seu *fictione* mentis illa primæva, prima sui rudimenta seu totam potius *Ideam*, desumat, quam ab ulla *corporeæ* *Oeconomix*, sive *materiali*, sive *motoria*, occasione.

XXII.

Sicut autem ex omnibus deliriorum speciebus, nulla nec familiarius occurrit, neque manifestioribus *corporeis* causis concurrentibus complicatur, quam *Melancholia Hypochondriaca*, & deliria periculosis *acutis*, aut jam fini *lethali* appropinquantibus morbis, concursantia; ita sunt etiam illorum *rationes* omnium evidentiores, ex *Oeconomix vitalis* ordine atque scopo desumendæ. Ad quas tamen priusquam accedamus, venit adhuc breviter commemoranda circumstantia illa certè peculiaris, *Maniæ* gravioris; quod, cum illa *febriles* sanguinis commotiones, comites non secum trahat, tamen *Maniaci* tanto *caloris* robore polleant, ut etiam *frigus*, quin sæpenumero enorme, neque *curare* sentiantur, nec etiam ullum inde actuale *damnum* ita facilè & promiscuè incurrere, nempe graviorum *pernionum*, aut planè

planè *spbaceli*, aliàs familiariter irrumpentis. Sicut enim prioris causa facilè inveniri potest, in fortissima mentis intentione ad res *speculativas*, *abstrahente* aded ab ipso *sensu*: ita potest tamen videri, quod altera illa circumstantia, nullius actualis *lesionis* etiam subsequenter, à reliqua illa sensus alienati consideratione absolute diffideat. Interim, si res sine ullo præiudicio æstimeretur, potest utique longè facilius agnosci, quod etiam ipse *neglectus sensationis* veluti *trepidæ*, maximoperè eo conspiret, ut non solum insuper habito *sensu*, sed etiam eidem, (ex ipsa *Mania formali* indole) tantò *magis*, *audacius*, *fortius*, actibus *depulsoriis* obstitendo, eo ipso negotium totum *concoctationis* partium, per violentiorem appulsus sanguinis, ad *actum incalescendi* deducat: sicuti hoc in animalibus *brutis* fieri indies conspicimus: de hominibus autem etiam in plebem ipsam satis notum est, quod noxæ frigoris longè maximum aditum, fortiantur per *sensibilitatem* inconditam, tam solo animo *molliter delicatorum*, quàm corporis etiam vitiiis, & afflictæ valetudine, mente ipsa *meticulosiore* atque *vigilantiore*.

XXIII.

Quemadmodum autem, juxta mentem Dn. D. Præsidis etiam ipsa *consuetudo*, inter *Animi pathemata*, propterea maximè connumerari meretur, quoniam non solum in genere, circa *actiones* versatur potius, quàm directè circa *materias*: verum etiam in *specificis* quasi sui, seu *formali* ratione, occupatur circa *promptitudinem* maximè *ad agendum*, aut etiam *tolerandum* & veluti *negligendum* qualescunque *irritationes*, quibus alias citò veitur in *trepidare* aliquam commotionem *ad agendum* concitari solet *Natura*: Ita meretur hæc ipsa, *Consuetudo* inquam, tantò magis in nostrum censum, *Animi morborum*, *Medicæ* considerationis, venire, postquam certum atque verissimum omninò est, & nemini cordatiorum *prædicorum* ignotum, quod *Consuetudinis* mira sit *energia*, tam ad *occasionem* morbis variè præbendam; quàm ad *indolem* eo-

rum.

rundem sensibilibus pervertendam, & aliis schematibus larvandam: Unde quidem hujus rei mentionem atque commendationem injicere, necessarium duximus, prolixitati verò, ut in re, prudenti aestimationi non magis obvia, quam maxime oblique, indulgere, supervacuum arbitramur.

XXIV.

Post enumerationem hanc morborum Animi secundum species, progredimur etiam ad CAUSALEM illorum habitum enucleandum. Pro quo negotio feliciter tractando, placet ante omnia spissum illum lapidem offensionis de semita abjicere, quem vulgatissima inter recentissimos speculatio obijcere videtur, ancipiti asperitate, uti quidem vulgo volunt, rigidum; nempe primo, quod hujusmodi *mentis* etiam perturbationes, longè certius deduci possint à *spirituum* malà *crafti*, & *mobilitate heteroclitica* atque *rebelli*, quam ab *intentionalibus Animi respectibus*, ad *retinendum & usurpandum corpus organicum*. Secundò, quod *Anima* nullo respectu aut *habitu*, ullam *reciprocã agendi aut patiendi energiam* cum corpore, habere aut admittere possit.

XXV.

Enimverò optandum esset, ut hujusmodi ineptiæ vel planè seponi possent; vel ad minimum coram talibus solum hominibus in judicium produci, qui *rerum ac respectuum, historiarum & ætiologiæ*, verè capaces, ne dicam periti, essent. Cum autem seponere vel propterea non liceat, quod etiam indies magis, & Tragica planè severitate, tanquam res summi ponderis, ad stabilendam aut evertendam totius *MEDICÆ*, artis ac scientiæ, integritatem & utilitatem, decantentur, aut ad minimum, non tam phrasi, quam re ipsa, verè in scenam producantur, postulare propemodum videtur necessitas, ut ipsa res, uti verè sese habet, potius sincerè listatur. Minimè tamen circa rem, revera sterilem, imò, si vel imperitiùs, vel intemperantiùs, agitur, etiam futilem, ulli prolixitati, nedum inauspicatarum conclusionum hallucinationibus immorari, usquam

quam placet, nedum simpliciter absonas suppositiones, & separatarum fictionum multiplicationes, denudare: sed sufficiet nobis potius ipsam rem fuisse, quæ demonstrat, quam parum ejusmodi præfigurationes ipsi respondeant.

XXVI.

Unde quidem non diffundemur in alleganda aut explicanda *Veterum* sententia, ad ostendendum, quàm parum illa faveat his recentibus opinionibus; quomodo nempe *Veteres*, *Spirituum* suorum legiones, utique absoluto *dominio* atque *directioni Animæ* subjicientes, hoc ipso propriè omnem culpam exorbitantis *regiminis* hujusmodi, propriè in *Animam* veluti congefserint: nedum ut de illo verba prodigere suscipiamus, quomodo absolutè nullam, neque directam nec indirectam, *facultatem*, nedum facilitatem, ullius *conceptus*, etià allegatio *Spirituum* usquam promittat. Sed sistemus simpliciter, & simplici certè consideratione, hoc ipsum maximè phenomenon, quod delineationi *Spirituum* motus, atque seditionum, in negotio aberrantium *phantasiarum*, tanquam è diametro repugnat.

XXVII.

Est autem hoc, *motuum organicorum corporalium*, passim exquisita *convenientia*, cum *intentionibus Animi*, & nudis etiam ejus *arbitrariis* Ideis, etiam simpliciter *fictitiis*. Antè omnia verò absit à nobis longissimè, ut hic nota afficere velimus portenta illa, *Spirituum* vel *domesticorum* vel *sylvestrium*; *motus* *Spirituum* per *lineam rectam*, *obliquam*, *vorticosem*; *motus* *luminosi* aut *tenebricosi*: imo vel solum *influxus* eorum *liberi* aut *intercepti*: non quod metuamus, ne quis nobis, sed honestorum virorum, hic imputare ausit, ac si tales res risui propinare in animo haberemus, quas nos quidem certè ne illo quidem dignas existimamus, sed infra illum omninò positas: sed simpliciter, ne & chartæ & patientiæ nostræ vim faciamus: sed allegabimus illud unicum, quod in hac ipsa scena tanquam placidissimè producant,

D

quod

quod *Spiritus*, in *Animi pathematibus*, in confundenda inquam *Animi* ipsius agendi *rectitudine*, TUMULTU agant, & inordinato sui motu, TURBULENTAS IDEAS, positive nempe, *efforment*, easque *Anime* ita objiciant, ut illa ipsas *prout offeruntur*, apprehendens, perversum inde *conceptum* PATIATUR potius quam AGAT.

XXVII.

Refragatur certè huic speculationi phænomenon illud in toto *Animi pathematum* notissimorum actu seu MIMO, luculentum prorsus, quod inusitata, imò si *materialis* rerum ordo spectetur, planè incondita, *commotio* organorum corporis, qualem *Animi pathemata* post se trahere consueverunt, nihil usquam simpliciter TUMULTUARIUM involvat; sed potius admodum exquisitè respondeat *intentioni* ipsi *Animi*, qualis *eo tempore*, sub illo inquam *Animi pathemate*, directè ipsius *mentis* non tam *intentioni*, quam *fictioni* etiam temerariæ, imò *æstimationi* fictitiæ, superstructæ, rectè & ordine respondet atque quadrat. Exemplum certè evidentissimum & longè simplicissimum, est in imaginaria *Nausea, fictione* inquam nuda mentis, & tota falsa *æstimatione*, secundum fictitias condiciones contingentes, adornata, quasi res aliqua ad assumendum intra corpus, alia *sapore*, alia *odore*, alia frigore, aut *tepore*, alia ipsa quantitate seu *mole*, alia deglutiendi difficultate, alia nescio qua *turpitudine*, non tam *inepta* solum, sed planè *intoleranda* existat. Ubi etiam *fictio* rei *contingentis*, præcipuum locum habet; ut, si quis ad imaginariam *nauseam* proclivis, *pilum* in cibus inveniat, imò inveniri *videat*, aut inventum, etiam per malitiosum aliorum *figmentum* solum, *audiat*: Imò saltem tale quid *factum esse*, *commemorando* accipiat: aut rei ita gestæ prolixius *re-cordetur*: sequitur ibi utique *perturbatio motus organici*, sed non frivole *tumultuaria*, verum omnino & loco, & *respe-ctu*, optimè *determinata*. Non enim, ut in *terrore* aut *ira-cundia*, promiscuè in *habitum corporis* invadit, nec in quam-

cur-

quinque partem *seorsim*, INDIFFERENTER, qualiscunque, TUMULTUS; sed in partes *fictioni* illi propriè *respondentes*, assumptioni talismodi rei, aut assumptæ assertioni, destinatas, *Oesophagum, Ventriculum*. Nec est *tumultuarius* qualiscunque *motus Cardialgicus, contentiosus, rigidè Spasticus*: sed directè, & ferè *alacriter*, ELISORIUS, vomibundus. Nempè decentissimè *destinatus, amolitioni*, tanquam receptandæ, aut excussioni tanquam fortè jam receptæ, noxiæ aut inquinatæ rei. Ubi etiam, si quis tam *iræ*, quam *terroris* atque *timoris*, veras *intentiones, æstimatorias*, & secundum æstimationem *voluntarias*, rectè distinguit, & paritatem actionum *organicarum vitalium*, quæ in talibus pathematibus suscipiuntur, ad has *intentiones*, expendit; ille sine dubio, si modo peritus est subsumendi, facilè comprehendet, quam graphicè etiam hæ actiones, *intentionibus* ejus temporis *mentalibus* conspirent. Sicut itaque ab istius commatis ætiologia, meritò nos excusamus, ita amplectimur utique magis illam, quæ *respectus* quidem *finales*, seu ut vulgò loquuntur *morales*, involvunt; Interim tamen, PROPTER corporis omninò, ejusque *conservationis*, necessitudines: Et *convenienter* quidem cum rectæ rationis dictamine; sed relativè tamen, in ordine ad conservandi *corporis* veras proportionès. Imò aliquando etiam (in *Animi* nempè *pathematibus*,) ne quidem secundum *veras, reales*, jam *presentes*, proportionès: sed *probabiliter* solum impendentes. Sicuti revera, ex hoc ipso fundamento, *Animi morbi* seu perturbationes qualescunque, quam communissimè veram *proportionem constitutionis* ipso facto *presentis*, transgrediuntur, & magis secundum *æstimationem* ejus, quod fieri *posset*, progrediuntur, quam ut exquisitè insit stat verè ejus temporis jam *actuali* noxæ: Ita tamen, ut utique etiam minimè *plane* desint specimina talia, ubi habitus *Animi* sic satis exactè respondeat corporeis proportionibus.

Alteram dubitationem quod concernit, *an*, & *quo in-
 mitu*, Animus, rebus corporis, immisceri aut immixtus esse
 possit? quamvis non æquè exigat præsentis loci atque pro-
 positi nostri ratio, ut hanc ipsam prolixè solvamus potius,
 quam declinemus; (cum præsertim hoc jam passim pluribus
 actum sit à DD. Præsidi, & nominatim in Discursu de *Medi-
 cina Medicinæ necessaria*, & Dissert. de *Mixti & Vivi vera
 diversitate*.) tamen pro illis qui è luculentis positionibus
 rectè subsumere & concludere di dicerunt, & res intellige-
 re compotes sunt, placet, brevibus rationes sistere, quæ hanc
 potius, quam ullam aliam sententiam, stabiliant. Nempè
 I.) *Anima* indiget corporeis *organis*, ad ipsam etiam *præ-
 sentiam* objectorum, nedum veras illarum affectiones, agno-
 scendas; II.) Hæc *organa*, sunt quidem facta rationabiliter
 ad ipsorum *finem* seu *usum*, iusta proportione: Interim III.)
 potest etiam absoluta mentis *fictio*, adeoque actus omnibus
 modis simpliciter *incorporeus*, huic rectè proportionatæ
conformationi organorum horum, tam ingens præjudicium
 afferre, ut conformatio iusta atque debita non solum negli-
 gatur, & in ejus locum planè frivola alienissima, celebretur:
 Sed etiam (quod profectò summè notabile est,) jam *ef-
 formata debita structura*, iterum dissolvatur, & hujusmodi
 nova, secundum *mentis fictionem*, in illius locum constitua-
 tur. Ubi etiam IV.) nihil impedit, quod Anima harum re-
 rum, dum fiunt, aut quomodo factæ sint, nullam *memoriam*,
recordationem, *conscientiam*, habeat: cum illa ipsa Anima,
 plurimarum rerum, absolutè & exquisitissime *suarum*; sim-
 pliciter æquè parum, sub actu, aut post actum, *meminerit*:
 v. g. QUOD ipsa utique agat; quibus *organis* agat, *quomodo*
 illa *regat* aut *dirigat*: qualem relationem illæ res ad ipsam
 habeant; quid sit *Motus*? quinam ejus habitus ad varias *pro-
 portiones*: quomodo ipsam *possit* aut *debeat* regere, *quomodo*
 hoc ipsum faciat, illo ipso momento, quo facit (v. g. in mo-
 dera-

deramine *jaclus lapidis ad certam distantiam seu metam* quod, quomodo, aut unde, & quidem tam promptè & in instanti, *dijudicet*, tot millia *saporum, odorum, sonorum, magnitudinum figurabilium*: quomodo *sonos & figuras seu dimensionones*, etiam memoria recolere & variè imitari possit, non solum quo tempore vult, sed etiam variare, quo modo vult; aut variationes, seu fortuitas aberrationes, statim agnoscere possit, & aliter instruere, aut ad minimum exigere, &c. V.) Quod totus *actus*, cujus diverso moderamine omnia in corpore geruntur, tota sui *essentia* exquisitissimè respondeat *essentia* animæ, *genericè*; nempe propriè sit *res incorporea*: & tamen VI.) in *corpus* maximam energiam, imò omnem, quam de hoc intelligere possumus, habeat: VII.) & quod, uti *motus* propriè est *actio*, ita Anima propriè sit *ens activum*: quodque VIII.) animam posse cum corpore commercium habere, monstret, ante omnia ejus *cum corpore contubernium*: tum etiam IX.) notoria, & apud omnes in confesso existens, ejusdem activitatis motorios *actus dirigendi*: præterea X.) omnia *objecta* circa quæ versatur, sint *corpora*, aut *corporeæ affectiones*: Et maximè omnium crassiore modo corporales, nempe *dimensiones magnitudinum*: post quæ omnia, XI.) etiam ut à posteriori, reciproca energia animæ in corpus, dilucescit tam ex effectibus illis, quas Anima, vanis *imaginationibus & estimationibus* aberrans, exerit, tam in *conformationem* ipsam corporis, quam in *motuum ipsorum vitalium* administrationem, *pulsuum, tonum corporis (palloris, refrigerationis, tremoris, moderatorem)* quam vicissim corpus in animam, *doloribus, aut jucundis etiam sensationibus, & periclitationibus* sui: & denique XII.) Harum omnium rerum verè *rationabili*, seu rationi omni modo consentaneâ, proportione.

XXX.

Ex his fundamentis itaque minimè dubitamus deducere, tum ipsorum quasi magis *directorum Animi morborum*

æstologiam; tum *effectuum*, quos in ipsi edere sentiuntur. Nempè pathemata Animi quasi *directa, iram, timorem & terrorem, gaudium & jucunditatem*, aut *odium & aversionem, desideria, ambitionem, superbiam, invidiam, &c.* in *animibus æstimationibus* corporearum rerum superstructas esse, nemo, solers æquè atque intelligens harum rerum speculator, ignorare potest. Quando verò jam etiam verioribus *sensationibus*, aut *incumbentibus etiam periclitationibus*, corpus afficitur; & animus, per individua, tranquilliori *æstimationis* exercitio minùs adfuefactus est: Ibi objiciuntur, etiam ex hoc latere, à corporis, inquam, plus minus veris necessitudinibus, ipsi Animo tantò præsentiores, vel licentius *gaudendi* atque *luxuriandi, vel timendi, trepidandi, & quasi desperandi*, occasiones, seu probabiles rationes. Tertio verò è talibus ipsius Animi turbulentis *directionibus*, & inde natis inordinatis *intentionibus*, nascuntur etiam directiones *corporeorum* motuum, inconditæ, ejusmodi *Ideæ* respondentes: sicuti reciproè, etiam à veris corporeæ *Oeconomix* periclitationibus, aut sensuum vehementioribus irritationibus, tantò præsentiores perturbaciones, & inprimis *speculabundæ æstimationes*, animo ingeruntur, præcipuè in *hypochondriaco-melancholicis* casibus.

XXXI.

Ita sanè, inquam, intueor nostræ considerationis *Animi morbos*, quod illi tum *orientur* passim à talibus molestiis aut damnis partium *corporearum*, aut *sensuum*, quatenus organis occurrunt, ut ipsa utique Anima, quatenus *officina* suæ corporeæ intentam curam & sollicitam attentionem gerit, in sollicitam inde, imò pro rei, aut suæ individualis indolis modulo, *trepidam & anxiam* curam conjiciatur seu incitetur. Unde partim etiam circà res simplicioris moralis *æstimationis*, *Ideæ*, corporali illi *periculose* constitutioni analoga, passim efformatur; partim *actiones*, ad *conservationem* corporis, & *depulsionem* nocumentorum vario-

variorum, tam in genere, quam per species, usitatae aut idoneae, vel in genere diligentius, operosius, imò etiam magis *trepidè* subinde, agitantur: tum etiam in specie, pro magnitudine trepidationis, & sive verae; sive fictae, *periclitationis*, etiam majore cum *anxietate*, *trepida*, & præter proportionem *festinata* atque *turbulenta*, tam ad agendum, quam in agendo industria, imò verò præcipitantia.

XXXII.

Hanc rem, ut universus habitus ipsius *historiae* morborum illorum Animi, de quibus nobis sermo est, in sensus in gerere videtur; ita simul, nisi quidem omnis intellectus impotibus, eadem evidentia obvium utique est & notorium, quod omnes hæ *Animi* læsiones, partim *mediatè* solum, per *corporis* læsiones, & illarum, etiam nondum factarum, sed solum impendentium, *estimaciones*, in Animum redundent: partim etiam *reciproce*, ab *Animo*, immoderatiorebus ejusmodi conceptibus seu *estimacionibus* turbato, in *corporis* actiones, earumque *directiones*, posthac ita impendantur; Ut inde etiam ipsi corpori, partim insolitæ (nempe quamdiu sincere sanum est): Partim non rarò quoque ad verè præsentem constitutionem (extraordinariis utique commotionibus opus habentem) tamen non exquisitè proportionatæ, motuum concitationes superinducantur. Interim nemo utique hoc intelliget fieri, quacunque alia corporea agendi ratione, seu, uti ferè à *mechanica* rectè intelligenda revera alieni eloquuntur, *mechanicâ* proportione; quam simpliciter *agentis*, seu, *activi moventis*, ab exercendo sui actu, impeditio quidem, per partium movendarum depravationem: interim hujus ejusdem *Activi moventis*, quatenus *activum* est, & perpetua *agendi intentione* plenum, dum ita impeditur, partim *cupidâ intentione*, ad superanda impedimenta, & *activitatis* suæ exercendæ libertatem recuperandam, imò convenientibus extraordinariis motibus restituendam: partim si hæc *intentio*, per obstaculorum majorem quantitatem, aut *qualitatis* energiam

giam, gravius implicetur, sollicitudo inde, de *successu & eventu* oriatur, & hinc *trepida, fluctuans, anxia*, imò *desperabunda*, verbo, variis modis *inordinata*, agendi, seu actiones suas prosequendi, ataxia, iusto ordine subsequatur.

XXXIII.

Sanè verò, uti haec agendi atque, fiendi rationem, nulli difficultati concipiendi obnoxiam esse arbitramur, ita consentiunt non solum cum ea effectus ipsi, qui ab Animi morbidis huiusmodi dispositionibus in corporis oeconomiam redundant; sed est etiam inter hos tales *unus*, qui non solum hoc ipsum pariter testatum reddere comparet, sed etiam luculentissimæ demonstrationis in hoc genere vim habere. Est hic, ipso tempore, & certè etiam evidentia dignitate, omninò *primus*; actionem vitalem seu *vegetativam primam* atque præcipuam, *efformationem* ipsius corporis, & promptissimè, & gravissimè, afficiens: & quidem ab actu sincerè *mentali, rationis ratiocinantis* simpliciter, seu perperam & *simulando estimantis*: imò insuper, & quod longè præcipuum est, etiam ex nuda *traditione* seu collusione *alterius* individui, à cuius errore etiam in hoc individuum error ille transmittitur demum, & ibi tandem ad operationem, etiam secundum huiusmodi *fictionem* seu *filiiam Ideam*, (*schema, objectum intentionis*,) operationi adhibetur, seu in effectum *corporeum* deducitur. Equidem circumspectores quilibet faciliè intelligent, esse nobis sermonem de efficacia *imaginationis maternelæ* pro inducenda mala confirmatione corporis, seu *nevis maternis* etiam prægrandibus: & conciliandâ Ideâ mali *regiminis motuum*, inprimis *Tonicorum*, in corpore Infantis.

XXXIV.

Hæc autem res cum intelligi condignè nequaquam possit, nisi distinctè in ipso *ordine fiendi* nota atque agnita sit, insistemus ante omnia huius ipsius maximè luculentæ enarrationi. Fœmina gravida, non quicquid, usquam videt,



det, quicquid luculenter, multum, diu, sæpenumerò, conspicit, si vè familiare & quasi quotidianum, si vè etiam infolitum atque rarum illud sit, infanti suo Embryoni propterea imprimit; sed illud demum, quod sub peculiari *æstimatione*, si vè *desiderii* ingentis, si vè *aversionis*, *terroris*, *timoris* prægrandis, ipso animo ita *confixit*, non quale reverà est, sed quale fieri, imò solum haberi atque *æstimari*, contingere possit. Unde non quilibet ad spectus *truncati* atque *mutili* corporis, *distortorum* ac *deformium* artuum, *horridi* aut *foedi* (nisi exquisita talis *æstimatio* & *interpretatio* concurrat) interpretandi, ad spectus, *murium*, *felium*, *ranarum*, &c. eminus, & extra ullam potentiam nocendi, visorum, *sanguinis*, in genere, & ubicunque visis, &c. non, inquam, quilibet tale uti simpliciter in *sensu* cadit, format propterea Ideam talem, quæ actui *formationis fetus* ullum minimum præjudicium objicere possit: sed unicè talis similitum rerum visio, imò sæpenumerò, sine ulla veritate existendi, etiam pura atque nuda aliquando *fectio* (v. g. anxix opinionis, sub qualicunque clanculario *strepitu nocturno*, quasi *mūs*, aut *felis*, aut reptile aliquod ingrueret, à quo, nescio quale & quantum, periculum corporis, imò vitæ, inde imminere possit, indeque sumtis occasionibus etiam prolixius fingendo effigurandi, quibus modis atque horridis invasionibus tale quid procedere, & pessimum illud eventum fortiri possit) qualis periculosi atque formidabilis eventus qualecunque periculum, quantumcunque probabile factu reddere possit. Talis maternæ mentis *fectio*, *probabilis*, aut quoquo modo *periculosa*, eventus, est illud, quod *infantis animo* ita communicatur atque imprimitur, ut ille non *mures*, *feles*, *ranas*, &c. sibi præfiguret, & circà harum rerum corporales Ideas aut similitudines occupetur: sed ut *periculum* aliquod, *periculum* inquam, *incursum*, *perreptionis*, *commorsionis*, *audacix*, tanquam *truculenti* ad spectus, *aciei dentium* & *unguibus*, & quid hæc omnia *possint*, citò & profundè, quantumlibet

E
etiam

etiam confusè, æstimet. Cujusmodi fictiones anxie, quantas in *infantili* quàm maximè animo gravissimas impressiones facere soleant, confirmat exemplum omnibus hominibus abundè notissimum, magni metus & anxie formidinis, *infantibus*, etiam per nudam *mentis infantilis, fictionem*, citissimè & constantissimè imprimendæ, etiam illo tempore, quo jam qualemcunque *discernendi* activitatem exercere incipiunt; quando nempe ipsis, etiam nudo *gestu meticulofo*, ad levissimum, imò nullum, *strepitum, timor* plasmatis phantastici, quale sibi etiam propria fictione præfigurare teneantur, des *Popphansen/ des bösen Mannes/ &c.* ita firmiter incutitur, ut in posterum vel *nominare* saltem *fictitium* tale phasma sufficiat, ad revocandum *timorem*, & tanquam præsentis aut propinqui hujusmodi Phantasmatis aut Spectri conceptum: adeò, ut sub adherente omninò ipsis hujusmodi constantissimo metu, etiam *soli* alicubi manere proptereà adhorreant, quia tale quiddam superventurum sibi fingere adfueverunt.

XXXIV.

Non autem subsistit solùm in *timore* aut *terrore*, à falsa *æstimatione*, & semper unum idemq; ita refingendi promptitudine, animo *infantis* facta hujusmodi *impressio*; Nec etiam trahit post se, unicè & simpliciter, commotiones illas *corporalium* vitalium motuum, *trepidans, anxias* (*cordis palpitationes, palloris & ruboris, frigoris & caloris, sudoris, tremoris & impotentie artuum*, organica, malè (sed tamen convenienter cum *mentis* anxia *intentione*) administrata vitia: sed redundat in certis, variisque atque multis exemplis, etiam *efformandi* corporis, imò potius *reformandi* corporis, *structure* inquam ejus aliter ordinandæ, effectu. *Reformandi* inquam corporis; quam certè rem omnium intelligendi corporum circumspèctorum speculatorum studio atque justæ pensitationi, commendare convenit. Consistit autem in eo, quod utique corpus humanum, vel à secundo,

cundo, nedum tertio mense, omnibus sui partibus seu membris externis, ita absolutum existat, ut etiam digiti manuum & pedum, nedum aliæ magis conspicuæ partes, in trimestri foetu, jam distinctè discerni possint. Efficacia verò impressionis imaginativæ maternæ, præcipuam suam energiam certissimè omnium demum exerat, post *medium tempus gestationis*. Effectus autem sit, non tam solum usitatorum membrorum, in *quantitate* aut *situ*, qualescunque *disturbationes*; sed membrorum, certè jam ita *formatorum* atque constructorum, in planè aliud schema *transformationes*, aut ad minimum *abolitiones* & ablationes: quorum neutrum fieri posse manifestum est, nisi illud, quod actu jam structum fuit, iterum *resolvatur*; & vel planè aliò materia illa distribuatur, vel in alium, imò sæpenumerò alienissimum toto genere, ovum ordinem, situm, atque nexum, *transponatur*, & in ordinem specialissimum denuò *coaptetur*.

XXXV.

Hoc ipsum, cum nulla alia re indigeat, nisi nudis *actionibus*, & imprimis *directionibus*, *motoriis*; quarum *directionum* certissimum fundamentum, est Idea illa, seu *mentalis delineatio*, vegeta atque constanti phantasia sustentata: *Anime* autem ipsi, etiam omnibus, quantumcunque speculationi impeditæ deditis, consentientibus, *directio motuum* in genere, concedatur: Hoc autem tempore Anima circà aliorum crassiorum organicorum *motuum* (nec ipsis organis adhuc satis perfectis, neque *subjectis* aut *objectis* talium motuum adhuc occurrentibus) *directioni* nondum operam dare possit: Occupatur propterea tantò magis circà *directionem motuum* subtilissimè *dirigendorum structuriorum*, & per minima corpuscula in ordinatissimos situs atque nexus *dispositorum*: & quidem *directionem* secundum sui ipsius, utique genuinum partum, *fictivias* nempe, *pure phantasticas* præfigurationes seu delineationes, quæ

demum in corporearum rerum coacervationibus, ut in concreto, in effectum deduci possint.

XXXVI.

E quibus rebus, sicuti tanquam manifestissimè, ordinem æquè atque potestatem *energiæ Animæ* in ipsum *corpus* comprehendi posse confidimus; ita tantò minus tribuendum arbitramur istiusmodi *excusationibus*, quales hodiè pasim audire obtingit, quando nempe hic *nexus*, quem modo exhibuimus, in testimonium citatur *activitatis Animæ in vitalium* etiam actuum *energiam*, aut pressiore rei, uti verè sese habet, enunciatione, actuum horum *Directionem*. Ubi nempe simpliciter protestantur, quibus hæc displicent, quod illa *energiæ Animæ* sit solum *ADMIRANDA*; nempe proptereà nullà, quantumlibet verisimillima, explicatione tentanda aut quoquo modo deducenda. Ubi certè frustrà in subsidium vocantur rhetoricæ exaggerationes variarum inductionum, circa quas mens humana imbecillitatem suam agnoscere debeat, circa percipiendi seu intelligendi *energiam*, (cum vel unum sufficere possit, wie das *Gras* wachse?) Nempe fundamentum rotius erroris, est *ignoratio tam elenchi*, de quo propriè quaeritur; quam ipsius *rei*, quæ verè fieri, non solum *possit*, sed etiam *debeat*, agnosci. Non videlicet quæstio est de *specialissimo modo agendi*, QUO MODO Anima in corpus agere, *motus* corpori inducere, imò quod adhuc plus est, robustissimos motus pro arbitrio suo *regere*, moderari, statim *cohibere*, ad quem vult *terminum* inflectere & *dirigere*, valeat? Sed de *generali* solum, non solum *veritate* (quod de *directione*, licet quoad modum agendi similiter inconceptibili, non audent negare) verum etiam *habilitate*: Quæ sanè manifestissimè elucefcit ex eo, quod omnes actiones etiam *vitales*, in genere fiant *motu*; Anima verò compos utique sit *motus* in corpore *dirigendi*, in genere: ubi deinde certè simpliciter ex alio capite deducendum veniret, quales sub hoc genere *motus*

tus

tus *speciales*, animam NON POSSE dirigere agnoscendum veniat? Ubi tamen seriò monemus, capaces tamen admonitionum, ut à *petitionibus principii* abstineant, aut ab universis his rebus.

XXXVII.

Reliqui, satis noti, animum decenter advertentibus, EFFECTUS Animi perturbationum, sunt I.) motus *cordis*, seu potius per hoc ipsum sanguinis, repentinæ & insignes *alterationes*, quæ vulgò nomine *palpitationum Cordis* notæ sunt; *pulsu* nempe valdè festinato, sed tamen simul communiter *inequali & inconstante*. 2.) Imò sæpenumerò tantæ hujus *ataxie*, ut etiam penitus, simul & semel omittatur, *Asphyxia* plenaria aut levi solum *tremore cordis*. 3.) *Toni* vividi partium corporis externarum, tanta, & tam discors, mutatio, ut adeò ab uno extremo ad alterum, hic error fluctuet, ut in aliis quidem remissio ingens, *tremor impotentia*, imò plenaria flaccida omisso, locum inveniat. Ubi ex hac *Toni*, & modo dicta *pulsus cordis*, summa utrinque *trepida* remissione, affectus ille, ceu effectus oritur, quem prudenter, & ex ipsissima rei vera indole, LYPOTHIMIAM, seu Animi destitutionem sive desertionem, Veteres nominarunt, defectum nempe talem, quo Animus actuationem corporis derelinquat. 4.) aut ex opposito, *Tonici* hujus motus tanta exasperatio, ut ad vehementes planè, atque fortissimos impetus, *Convulsiones*, fiat transitus, à tranquilla ejus, & non nisi prudenti sensui noscenda, indole. 5.) *Fluctuatio* omnium harum rerum seu multiplex *inconstantia* in genere, *trepidationi* Animi, qualis illo tempore viget, utique ad amissum consona: 6.) Interim specialiore proportione nihil quicquam simpliciter *fortuitum*, aut verè *tumuluarium*, involvens, sed Animi *intentionibus*, quantumlibet etiam erroneis, satis exquisitè respondens. 7.) Jam verò, è mediatis horum generaliorum effectuum consequentiis, etiam varia schemata *tonicorum* effectuum: *palloris & ruboris, volatici frigoris*

aut *æfus*, volatici *sudoris* aut *ficcitatis* seu *cessationis sudoris*, cum subcontrario illo phœnomeno, *frigiditatis* inter *sudandum*: Kälter Angst-Schweiß/ dicunt Germani. Sicut etiam notissima sunt, mixta veluti illa consecraria, v. g. *appetitus*: qui à *terrore*, *metu*, *nausea* dubia injecta, imò etiam *indignatione* concitata, etiam in momento cadit: unde triviales illæ expressiones Germanorum, super dubiè tristi aut molestâ admodum & indignâ re, inter epulandum subito objecta, es seye ihne Essen und Trinken drüber vergangeu/ re. Ut de aliis, plus *moribus*, quam corporeis *motibus*, assignandis actionibus, *suspiriis*, *ploratu*, *gestibus timidis*, aut *indignabundis*, imò *vomibundis*, (à nausea) symptomatibus, seu potius tentaminibus, nihil dicamus.

XXXIIX.

Dignior autem fortè, quæ expendatur solertiùs, est illa *reciproca* efficacia, quam *corpus in animum* habet, in *lanquoribus*, *angustiis*, *trepidationibus*, *anxietatibus*, frequentissimè temporariis atque *transitoriis*; sæpenumerò tamen etiam *stataris* atque permanentibus, in *Melancholia Hypochondriaca* dicta, seu, juxta antiquorum etiam sententiam & experientiam, *Splenetica*. Ibi enim duo omninò sunt consideratu digna, primò *corporeæ* constitutionis *perceptio*, non quidem directè & simplicissimè secundum omnes circumstantias præfigurativa, sed tamen *generalem* veram Ideam provocans, *angustiarum*, affectandi amplioris *spatii*, metus non solum *inarcerationis*, sed etiam *capitalis periculi*. Secundò Animi, his Ideis anxii, excitatio ad ejusmodi *directiones* motuum *vitalium pulsorio-tonicorum*, qui ad depellenda hæc incommoda satis quadrent. Cujusmodi sunt primo omnium loco, non solum propensio ad *suspiria*, sed vera etiam, in libero suspirandi exercitio tanquam *avertensia* quadam: Dum interim omni modo hic actus *suspirandi*, quadrantenus facit ad promovendam *distributionem* sanguinis per *Venam Portæ*: utpote cujus verum *mechanico-Organicum* mini-

ministrum, omninò existere *respirationis* actum ordinarium, adeoque ubi res exigit, etiam proportionatè augendum, jam pridem monuit Dn. D. Præses) Deinde fluunt certè ex hoc eodem fonte, etiam *passivi* illi varii motus, qui circa partes à *Vena Portæ* quasi dependentes, in angustiis & anxietatibus *hypochondriacis*, passim, sæpè & multum, sese exerunt. *Conventiones* nempe variæ; imò *fluctuantes*, quasi manifestius *Convulsivi*, motus; uti vi quadam promovendo sanguinis progressivi, hæctenus laboranti, omninò idonei, ita sincera veri similitudine, etiam ad hunc *finem* destinati, cui non solum quadrant, sed etiam eo ipso tempore, quo quàm maximè fiunt, *necessarii* sunt. Sicut etiam valdè frequentes atque proclives hujusmodi magis *anxiis* *hypochondriacis*, *Palpitationes cordis*, ad minimum certè in genere non abluunt à rationabili destinatione; quandoquidem in hujusmodi subiectis etiam perpetuò subesse velut universalem justò minorem fluxilitatem sanguinis, vix quisquam puto fuerit, qui contradicat: cui etiam vehementiores commotiones atque impulsus motus *localis*, ad minimum in genere, adhibere sic satis consentiæ taneum esse, vix quisquam dubitaverit.

XXXIX.

Putamus autem mereri omnino hanc rem, pensitationem prudentissimam; æstimationem, inquam, verè *passivorum* motuum, præ ita *activis*, ut sub reliqua rerum præsentium constitutione, secundum omnem sanam rationem, potius *usui* qualicumque, imò subinde non exiguo, inferviant, quam ut simpliciter *passivo* quodam eventu, aut purè *tumultuaria* concitatione, niterentur. Ubi quidem placet duo verba dicere, de recentissimo quodam dogmate, quod assertioni nostræ in eo subscribit, quod utique hujus modi *viles* in rem præsentem commotiones, passim in corpore fiunt; etiam illæ ipsæ, quas nos in hanc tribum redigimus, à variis aliis hujusmodi depulsoriis & excussoriis moliminibus (etiam per fortes *insultus* repetentibus) ad FEBRES usque:

inte-

interim illud tamen contradicendum reputatur, quod quidquam horum, tanquam *consilio & intentione* cujuscunque *Agentis* atque *dirigentis* principii fiat. Sed solum, quia *consulto* utique fiat, (nempe ita ut omnino convenire presentibus rerum constitutionibus ad exitum corpori salutarem deducendis, appareat) agnoscendum videtur, *inditum* atque *insitum* hoc esse ipsi *mechanicæ* proportioni corporis ad res p. n. & ab ipsa *voluntate Creatoris* ita institutum, hos *motus*, hos *nifus*, has *irritationes*, machinæ, ut *corporeæ, elateribus*, & novorum entium novis entibus, injuncti & impositum esse, contendatur. Quanquam autem hujusmodi opiniones, operose in disceptationem vocare, revera à nostra intentione sit alienissimum; & lubentissime in eo acquiescamus, ut solum & agnoscatur, & in considerationem, imò etiam consultationem decentem, trahatur hoc ipsum, (à quo utique ipsa usitata Pathologia non solum aliena est, verum etiam passim, per species affectuum, ita in *contrarium* abit, ut potius, vix non ubique cantilenam illam utique cantillet, quod hujusmodi, uti illi quidem interpretantur, symptomata, simpliciter passivè, à morborum causis, corpori inducantur) quod multæ morborum circumstantiæ magis adscribendæ veniant salutaribus *activis conaminibus*, ad depellenda, fecernenda & exernenda varia talia, quæ ad nocendum corpori vel idonea, vel jam tum in eo ipso effectu comprehensa sunt. Tamen non abs re erit, considerationi solum tranquilliori commendasse, illam ipsam notissimam circumstantiam, quomodo nempe hujusmodi actuum, qui, si ordinate atque tranquille procedant, omnino ita salutare esse, etiam allegato consensu illo, agnoscuntur; & ab ipsa Divina voluntate, corporis mechanicæ activitati, (secundum hanc opinionem eidem simpliciter inditæ ac insita,) ita injunctæ esse reputantur, ut hujus mechanisimi Oeconomia, non solum ex se ipsa refragari non possit: Sed etiam tales res, quæ huic ordinationi divinæ primo refragari eamque in discrimen adducere videantur, tamen ita admi-

admiranda $\sigma\phi\theta\eta$ motus ipsos corporis, tandem eò in anti-
 quum circuitum, (nempe hoc ipsum etiam per absolutam Di-
 vinam voluntatem,) impellere soleant, ut omnino tamen de-
 nique talis motuum *converso ad salutarem sui exitum* sequatur:
 quomodo inquam has universas res, *corporea mechanica* non magis
habilitate, quam planè motoria *activitate*, subnixas: (iterum dico
corporeis potentiis mechanicis realiter superstructas, & quidem ab
 ipsa *voluntate Creatoris* ita institutas atque constitutas) quomodo,
 repeto, has tales res, *corporales* per hypothesein, nihilominus
citissime, profundissime, potentissime intervertere, & à sui, destina-
 tione non solum avertere, sed ad suas, novi hujus intervenientis
 agentis, *intentiones* inflectere, possit, Agens simpliciter *incorporeum*,
 etiam per *actus* absolute *incorporeos, falsas estimationes, fictiones*
 rerum non omnino existentium, sed vel ad summum *futurarum*
 demum, vel *ne ita* quidem, uti finguntur, unquam futurarum.
 Puto quemlibet facile intellecturum esse, quod sermo nobis sit,
 de notissima illa, tam presentissima, quam potentissima, energia,
salutares processus & successus *Secretionum & excretionum*
 opportunarum, sed & maximè tempestivarum, in tantas *ataxias*
 conjiciendi, ut *salutaris* exitus pessundet: *Quale* quid per
 insignia Animi pathemata, *iracundiam, terrores*, magnas
anxietates morales, in *acutis* morbis, sine probabilibus
materialibus directis vitiis, sepe numerò fieri, ne ipsum
 quidem vulgus ignorat. Simul verò quilibet rectè
 intelligendi atque connectendi capax, siquid hic dispicit
 in superabiles illas implicationes, 1) quod Anima quidem
cogitativa, in motus *vitales*, utpotè simpliciter *corporeo-
 mechanicis potentiis* superstructos, nullam dicatur habere
 energiam aut qualemcunque *potestatem*: & tamen 2) tam
 manifestam talem energiam exserat, in *Animi pathematibus*
 simpliciter *factivi* objecti, & *intentionis* propter *falsam
 estimationem*. Ubi tamen 3) studiosè cavere cohortamur,
 ac hinc agens *petitio principii* adfectetur; nempe, quod

F

112

112

quidem Anima nullum jus habeat in actiones f. n. promovendas atque *juvandas*; bene verò ad easdem *turbandas*. Simul atque enim ab illo fundamento disceditur, quod toti huic disceptationi tanquam in solidum substernitur, quod nempe Anima ut *immaterialis, simpliciter & absolute* nullam potestatem habeat in activitatem *vitam*, ut simpliciter *corporeo-mechanicam*; eo ipso momento prodita utrique est tota causa, & perdita sunt omnia verba, quod facile intelligent, qui statum controversiæ formare, eumque in disquirendo servare didicerunt.

XL.

De *Consuetudinis* ætiologiâ prolixè argutari, tanquam de re, simplicissimo etiam conceptui satis obvia, cum minimè placeat, satis habebimus illud solum solerti animadversioni commendare, quod & alias in *effectibus* Animi affectuum perpetuum locum habet, & imprimis in *Consuetudine* plurimum omnino valet: nempe, quod *effectus* Animi morborum, seu quantumlibet erronearum actionum in Oeconomiam corporis, nunquam EXACTE sequatur *veram proportionem* illarum rerum, illorum inquam *periculorum*, aut actualium *dammorum*, quæ eo tempore, à quantumcunque etiam *materialibus* causis, corpori impendere possunt. Quæ res, sicut in genere satis perspicua est animum decenter advertentibus; ita incurrit tanto distinctius in ipsos veluti *sensus*, sub differentium etiam *Animi morum* per individua contemplatione: Ubi videlicet manifestò dilucescit, quod commotionum, de quibus sermo est, vehementia, certissime variet, in uno eodemque genere morbi, non tam secundum *quantitatem* aut *qualitatem materie*, quam secundum *mores animi* tranquilliores, æquabiliores, patientiores: aut contra importuniores, timidiore, inconstantiores. Antè omnia verò habet in hoc genere locum duplex ille respectus *Consuetudinis* tam in *defectu*, quam *excessu*. De *defectu*, notissima est etiam ipsius vulgi hominum observatio; quomodo rebus,

bus diu tranquillis superveniens *periculatio*, ingentes turbas post se trahere solet, etiam propter causas tantum turbarum minimè promerentes, & quales alii, talium rerum jam ipso usu peritiores, etiam leviter, aut certè nihil ad istam proportionem, perpeti indies sentiuntur. Unde inquam sunt notissima illa usitata loquendi formula, *der gute Patient seye eben nicht gewohnt krank zu seyn/ memais/ oder lange nicht krank gewesen / darûm komme es ihm so schwer an/ und könne er sich so übel drein schicken/ &c.* In excessu è contra, facile agnosci potest innumeris exemplis, nimia illa promptitudo, qua motibus ejusmodi veluti procacioribus, per multiplicem usum admodum *adsueti*, ad tam protervam *promptitudinem* iterum iterumque eosdem actus exercendi, deducuntur, ut per occasiones, nihil, quidquam veræ proportionis offerentes, reverà ita levi de causa, excitentur, ad sæpè repetitas, adeoque valdè sibi *proclives*, *actiones*, toties quoties denuò suscipiendas. Quæ quidem ipsa etiam conditio, ita ubi omni modo meretur, debitè considerata, non potest, quin multum detrahat de altera illa opinione, quæ harum rerum causas in nuda *corporea sensibilitate* collocat. Dum in hac ipsa re, verè circa unum idemque objectum, quantum *corporale* agnoscitur, multis, imò numerosissimis, exemplis, contraria planè operari videri deberet: Ubi apud alios majorem indies exacerbationem producendo, fibrarum majori *sensibilitati*, & organorum ipso *motu* increbescenti majori agilitati, adscribitur: dum, ex adverso, apud non pauciores alios, comparens major majorque indies hujusmodi commotionum *neglectus*, earundem fibrarum successivæ *obdurationsi*, organorum autem jam *staccida*, jam *rigida*, per multiplicem velut abusum, introductæ inhabilitati (licet è nullis aliis actionum defectibus aequè ostendendæ) imputatur. Dum ex adverso, si animus dirigatur ad observanda discrimina indolis ipsius ingenii seu moralium propensionum, in hujusmodi subiectis, facile tanquam ad

oculum dilucescat, quod, qui *Animi moribus, alacriores, promptiores, immoderatiores*, existunt, iidem etiam ad activitatem quamlibet aliam promptius *adsuesciant*: qui verò tranquilliore aut *torpidiore* sunt *Animi ingenio*, illi non solum ad tranquillius *tolerandum*, sed passim etiam *negligendum* varia molesta, nisi quidem planè *periculosa*, verè *promiores* sentiantur.

XLI.

Illud, quod partim ad veriorem considerationem, partim ad veram *prognosin*, quantum *Therapie* subjaceant *Animi morbi*, quam maximum momentum affert, est solertissima discretio, quid *Animo simplicius & directè, propria sui culpa* aberranti, debeatur: aut contra *corporeis* causis adscribendum sit, earumque efficaciam, *Animo negotium intricatum* objicienti. Sicut enim ingens utique discrimen est, inter illas turbas *motuum* corporalis *Oeconomiam*, quæ ab ipso animo, per *morales* perturbationes trepido, anxio, fluctuante, aut graviter concitato, directionibus inconvenientibus, aut nudæ illi præsentis *patheticæ* intentioni aptis directionibus, inducuntur: & contra tales, quæ ab ipsis *corporalis Oeconomiam impedimentis, irritamentis*, aut veris *periclitationibus*, ipsi *Animo* offeruntur: Ubi vix unquam in eo acquiescit totius mali successus, quod verè *analogiæ* magis directarum causarum talium utrarumque quadrat, quin perpetuo errores etiam simpliciores & magis directi ipsius *Animi*, sensim sensimque non tam solum *motuum* inconditas *directiones*, sed veras etiam *humorum & meatuum labefactiones*, introducant: & vicissim, etiam illæ ataxiæ, quæ à veris *corporalibus* causis primò inductæ sunt ipsi *Animo*, ad magis *trepidè* perpetrandos *motus* vitales, eorumque *directiones* secundum convenientem ordinem atque mensuram, quin etiam ex hac ipsa turbulenta administratione, (ubi illa ita valdè *trepidè & anxie* administratur,) etiam plura nova incommoda, præter primigenia illa, in *Oeconomiam* corporis hinc ingruant: à
 gene-

generali illa *Animi*, ipsius *intentionibus* aberrantis, activitate in corpus perverſa atque heteroclitica: Ita, inquam, opus certè eſt conſideratione nequaquam ſuperficiali, pro hujusmodi *MUTUÆ* activitatis vera *cauſali* ratione rectè dijudicanda, re *corporis* vitii conſulendum cenſeatur, & imprimis quidem *directis medicationibus*, ubi talia nulla præſtò ſunt; imo potius ſubinde ita demum corporalia quoque vitia *introducuntur*: Aut *Animi* directæ turbulentiæ, per obtruſionem ſupervacuorum remediorum adhuc magis, & quidem gratis, irriterentur: (Unde ferè perpetuum eſt *Maniacorum* adverſus Medicos odium) Aut contra, ubi veræ *corporales cauſæ*, v. g. *melancholico-hypochondriacæ*, ſubſunt, ibi, inverſa methodo, directè talibus medicamentis indulgeatur, quæ magis ad ipſum *Animum* domandum, in certis caſibus tentanda ab aliquibus, (quanquam communiffimè magis puris Empiricis,) laudantur. Quæ certè res adeò latiſſimè planè patentem uſum habet ut longè ſæpiſſimè in praxi Medica eveniant hujus rei exempla, ut falſa opinione aut perſuaſione *imaginarias egritudines* ſibi imputantibus hominibus, ſi Medicus abſurdè officioſus, temerè medicamenta ſuppeditet potius, quàm ut conſiliis prudentibus illos confirmet, & à medicamentorum, præſertim activiorum abuſu ſine cauſa illos dehortetur, certiffimè hinc vera demum incommoda patientibus talibus obtingant, qualia antehac, non niſi nuda imaginatione ſibi præfiguraverant.

XI. II.

Sunt autem omninò ita ipſa maximè *Animi* aberrationum genera, quæ ſimpliciùs à *nuda imaginatione*, aut *æſtimatione* notabiliter erronea, vel introducuntur, vel quoquo modo ſoventur, & *activiora* atque *inquietiora*, & *obſtinatiora*, quàm illa, quæ, in genere ad minimum, veram atque realem *corporalem* cauſam ceu objectum agnoſcunt. Quemadmodum enim etiam cæteroquin in rebus magis directæ rationis objectum conſtituentibus, ſemper propemodum paratior eſt rationis convincendæ, & ad juſtum progreſſum de-

ducenda, promptitudo, ut ipsæ *res* ad manus sunt, & per ipsos *sensus* illi ita offerri possunt: Dum ex adverso rerum sola *mentis fictione* representandarum, longè obstinatius tenax est, & ad nudas mentales remonstraciones admittendas, longè magis refractaria: Ita in his etiam nude suæ *fictionis* intentioris objectis, ordinariè observatur longè *pernitiosam* sese gerere, quam si illa, etiam *corporaliter*, vera objecta, circa quorum qualemcunque veluti sensum, perturbatur, ipsi subtracta sint. Hoc nempe intuitu sunt certè pertinaces omnes *Ideales* & simpliciter *estimativa* falsæ inquietudines mentis, sive forti *impetu*, sive longo *usu* impressæ, v. g. ut de levissimis solum dicamus, *meticulositas* ab infantia aduefacta, quamobrem plerique infantes *solitudinem*, *inclusionem*, præsertim in *tenebrosos* locis; insuperabili timore, imò anxietate insignitioribus quoties concepta, difficillimè ferunt. Gravissima verò hujus generis, & propterea etiam communi consensu non emendabilis, hujus generis *timiditas* est illa, quæ à *matris imaginatione* infanti inculsa, adeoque, quod ajunt, *commata* existit. Ita etiam nota sunt hujus generis exempla, quomodo à vehemente *terrifica* formidine *spectri* apparentis, aut corporeum aliquod periculum molientis, homines in *Maniacas* mentis alienationes conjiciantur.

XLIII.

Neque verò minoris *contumacia*, quantæcunque etiam de reliquo vehementiæ aut peculiaris ataxiæ, sunt *consuetudines*; utpote quæ, sive à nuda voluntate atque indulgentia, sive à qualicunque *estimatione* rerum acceptabiliam aut odiosarum, originem duxerint, communissimè summè certè *refractariæ* atque obstinatæ sunt indolis, & hoc ipso nomine certè difficilis; quoquo modo *Prognoseos*. Est certè etiam in hoc genere tanta vis, & ferè etiam tam benè nota, ut nemini incognitum inde sit verus illud dictærium, quod *consuetudo* sit ipsa omninò quasi *altera Natura*.

XLIV.

XLIV.

Quamlibet autem omnis generis insigniores aberrationes Animi, *contumacia* effatu digna minime destituantur, sunt tamen illæ, quæ veras *corporales* occasiones pro fundamento agnoscunt, omnibus certè modis *benigniores*, & ad reditur in justam viam proniores. Unde quidem etiam veræ *Melancholia*, quæ nempe à *spissi sanguinis* impedito progressu, inprimis per *Splenico-hæmorrhoidalia* vasa, dependent, bonæ ante omnia sunt, spei. Sicubi verò etiam hisce talibus *Ethico-Politice* occasiones novum superpondium adjiciant, concipiunt etiam ipsæ utique tales, ingentem omnino perviciam. Si nempe ita timidus & anxius, *solitudinem*, *insidias*, *incarcerationes* metuentibus, inhumaniore conversantium ingenio, *irascendi*, *indignandi*, *erubescendi*, imò *timendi*, aut infaustas suas opiniones pro veris veluti deprehendendi, occasiones ulterius subministrantur, *dura*, *minaci*, *ridicula* & *malignè illusoria* conversandi ratione. Sicut etiam tam *Melancholicis* quam ipsis *Maniacis*, pro quorum custodia aut coërcitione sumtus necessarii deficiunt, vulgò adhiberi solita *vincula* atque *catenæ*, adeò infausti, etiam ad vulgarem notitiam, sunt eventus, imò potius effectus, ut inde etiam inter plebem nota sit loquendi formula, wann man unsinnige Leute einmahl in die Ketten schliesse/ so werde es mit ihnen noch schlimmer/ und sie noch rasender. Quod quidem plebs hic illic imputare solet peculiari malignitati vinculorum, tanquam maleficis, uti destinatorum, ita ab ipsis, tanquam conscientia ipsorum anxietate (quæ tamen communissimè in talibus oppido parva observatur) infectorum: Sed longè manifestior est utique *moralis* illa æstimatio, quod, quoties etiam lucida aliqua, uti vocantur, intervalla, sic affectis affluunt, si illi tunc catenis sese oneratos intueantur, novo *terrore*, *mærore*, *pudore*, inde percussi, in novum quasi paroxysmum, nec etiam injuriâ nudâ importunior, ita incitentur. Quo intuitu certè, quantum usquam possibile est factu, differen-

ferenda semper est hæc coercendi ratio. Illud autem certissimum est, quod Deliria à *speculativis* maximè initiis coorta, his, & quibuscunque *moralis aestimationis* turbationibus, ordinariè vel in pejus, vel certè nequaquam in melius sed ad summum ita in aliud, mutantur, ut v. g. *Maniaci*, ferocibus *minis, verberibus*, & quantumcunque *asperis* coërcitionibus, equidem subigantur, ut *cautiores* atque *continentiores* sese gerere adfuecant; interim exempla etiam passim innotescant pessimorum eventuum, quando callidè *dissimulatam* ferociam in incautos & nimium confidentes obvios imbecilliores, exercendi occasionem, insidiosa etiam captatione atque vigilantia, aliquando adipiscuntur.

XLV.

Quod itaque tandem *THERAPIAM* Animi morborum attinet, sunt quidem illi maximè, qui à *speculativis* concitationibus, simplicius ortum ducunt ad directam *corporalem medicationem* nequaquam apti aut obsequentes; sed indigent potius *Medicina* etiam *mentali*, quæ maximam partem in prudentissimâ conversatione, & ante omnia patientissima, consistat, necesse est: in qua re tamen, tanquam ordinariè, ita gravissimè hallucinantur mortales, ut sæpenuerò in dubium adduci possent, uter stultior sit, patiens confessus, an qui cum ipso stolidè procedunt & versantur. Ubi quidem mihi Præsidi, notus est locus, in quo hodieque afferantur acta judicialia, in casu magis quàm causa, hominis melancholici, qui per rem familiarem minus commodè cedentem, cum tamen ipse & diu satis exorasse, & frustra expectasse promissam divinam benedictionem sibi imaginaretur, & tandem magis magisque stomacharetur, tandem in miseram quandam simultatem adversus Deum incidit, & vanas esse preces, omnibus procedendi modis stolidè, sed tamen inter domesticos solum, causaretur: omnibus interim reliquis circumstantiis ita notoriè melancholicus, tacitus, solitarius, timidus, anxius, totus inquietus, rei familiaris, & victum qualicun-

licunque opificii sui labore quaerendi, negligens, & totius vi-
 ta pertusus, interim tamen mori timens, (præterea etiam ita
 manifesto meticulosus, ut qualescunque strepitus ipsum in
 intolerabiles angustias conijcerent, ipsius usque sermonis,
 etiam domesticorum suorum, paulò clangosioris, quotidianis
 exemplis.) Qui, ad importunissimam instantiam indiscreti
 alterius hominis, licet consistoria & Medicorum Collegia,
 etiam repetitis rescriptis renuerent, inconditas ejus locutio-
 nes, quas aliàs quidem domi muscitabat, protractus autem et-
 iam ad tribunal oppidanum, super allegatum argumentum,
 non tam confiteri, quam absurda & simplici disputatione ita
 tueri non dubitabat, & tamen morosè deprecabatur, *sie soltet
 ihn nur im Frieden lassen/ er sollte ihm (Deo) doch nicht wieder
 gut werden/ nachdem er nur allzuviel erfahren hätte/das die Ver-
 heissungen nicht einhielten / & stultè, res suas sibi relinqui,
 Deum res suas sibi habere, veller; Ubi etiam Consistoria, ad
 indefinentes instantias indiscretorum quorundam, nihil ta-
 men amplius, post satis longum tempus, quam exilium ex op-
 pido, decernerent, ille, multis circumstantiis ostendentibus,
 delirâ hujus sententiæ impatientia, post paucū tempus rever-
 tens, & aliquandiu in Columbario suo delitescens, tandem pro-
 ditus & protractus, nihil nisi antiquam cantilenam repetens, &
 simpliciter acerbis, (pro desperato Atheo) allocutionibus atq;
 tractationib; variè exacerbatus, nihil tamen aliud, quàm res suas
 sibi relinqui, se quoque sua Deo relicturnum, postularer, super
 antiquo suo argumento: Unde tandem iterum iterumq;, non
 tam consultum aut informatū superius tribunal, quam incre-
 pitum ab illis inferioribus magistratibus, & nominatim qui-
 dem ab uno maximè Parocho, & uno quaestore oppidani,
 post aliquot annorum repetitas recusationes, tanquam circa
 hominem, ad minimum summè ambiguae suspitionis stulti-
 tiæ potius quàm malitiæ, tandem decrevit, ut vita privaretur:
 Ubi etiam in adeunda executione ultima, specimina conditio-
 nis suæ in eo exhibuit, ut præ immenso timore, longè certè
 ab omni obstinatione præfracta atque temeraria, raptandus
 atque pulsandus ad locum supplicii fuerit, inter perpetuò ad-
 huc*

huc oblatam conditionem & supplicationem, ut sua sibi, & misera illa vita, relinquerentur, se etiam Deo sua relicta esse: super quibus stultitiis tandem decollatus est, &c.

XLVI. Nequaquam autem fieri potest, ut certa quasi methodus in universo negotio conversandi cum delirantibus, tanquam graphicè describatur, cum utique vix illi homini totius etiam vitæ suæ spatium sufficiat ad satis comprehendendam certam methodum, cum minoribus etiam stultis intaminata prudentiâ convertendi: Interim illud utique *duplex* fundamentum constituendum putamus, 1) quæ manifestius à vitio atque defectu *rationis* fluunt, *indulgentius* tolerare, neque statim simpliciter *castigare* velle, sed prudenter discernere *stultitiâ à malitiâ*, & rectè meminisse, quod *non omnis stultitia sit malitia; vivet omnis malitia, etiam sit stultitia*: super quo fundamento prudentissimè certè abstinendum est à perpetuis stolidè dictorum aut factorum, præsertim importunioribus, *taxationibus* aut *castigationibus*: (nisi quidem tali individuo etiam alioquin ingens *malitia* notoriè familiaris fuerit) 2) ne violentiores, sermones aut actiones stolidas, cohibendi modi, antè aut extrâ tempus tanquam insuperabilis *necessitatis*, admittantur; sed quantum fieri potest, placidè & amicè ipsis consulatur, atque patientissimè persuadere tentetur. Tertium quidem adicere possemus, sed est res alterius quàm Medicæ, non solum potestatis, sed omninò etiam consultationis, & serè circa privati interesse difficultates occupata: nempe, ut realibus solatiis, præsertim *mæstis, timidis, sollicitis*, succurratur, & ponendæ sollicitudinis media idonea offerantur.

XLVII.

Omninò autem habet hæc consideratio etiam amplissimum locum in illis *deliriis*, quæ, licet prima rudimenta sui, à corporalibus occasionibus sumserint, tamen multiplicia augmenta, & largum fomitem accipiunt à *moralibus* sollicitudinibus magis magisque non solum concurrentibus, sed hinc inde etiam præcipuas partes sibi mox vindicantibus. Ubi passim aliquando veriores, aliquando etiam magis erroneæ

con-

conscientiæ labe: alibi *paupertatis*, *contemptus*, *votorum* non succedentium, alibi planè malignæ *illusionis*, aut imprudentis *castigationis*, & violentæ *coactionis*, interventus, *corporaliu* causarum energiam tam longo intervallo post se relinquunt, ut, sublatis licet abunde *corporeis* illis causis, reliquæ illæ *estimative*, *speculative* atque *opinabiles*, totam *memoriæ* æquæ atque *phantasiæ* activitatem, occupare, & in perpetua inquietudine detinere, minime desistant.

XLIIII. Interim inventum, aut destinatum certè, etiam est remedium *Mentis* hujusmodi vitiis, per *corporis* quasi latus. Non quidem amplius dicemus de manifestò *physico-morali* illo, tristic sensationis, per *verbera*, *flagra*, *vincula*: cum illud stultitiam certè nunquam *bona fide* sublevert, sed solam fortè conjunctam *malitiam*: sed de *fatigationibus virtutum* in ipsos *vitales* actus impendendaru, per *impetuosas vomitiones* aut *purgationes* Sicut eo nomine non solum ab antiquissimis temporibus, ipse *Helleborus albus* famosus fuit; sed etiam hodiernorum quoque practicatorum non postremis, hoc nomine arridet. Ab eodem autem certè, & nullo prorfus alio, effectu, laudatur etiam ab aliis quibusdam, *Antimonii emetica* vis, sub variis schematibus usurpanda. Frustrà autem tanquam sub quibuscunque aliis specialioribus *irradiativis* prerogativis, quales, in re per se valdè ancipiti, & rari boni effectus, nemini sani cerebri persuadebuntur. Quanquam autem omnino etiam hujusmodi *generalia* tentamina, aliquando quidam efficere videantur, est tamen illud tam *incerti* eventus, & interim tam suspectæ *heteroclitæ* efficacix, ut tam facilè patientes tales immoderata *vomitiorum* energia, in novos morbos præcipites agi possint, quàm ullum effatu dignum levamen præsentis sui mali, inde adispisci.

XLIX. Quid de aliis *SPECIFICIS*, uti vocantur, remediis, promittant alii, ostendunt, tam tituli *Tincturaru* & *Elixirium sapientiæ*, quàm, ut à *Quercetano* novis testimoniis condecorata, ita ab antiquis adhuc Germanis Botanographis, ipsius nominis Encomio, *Gauch-oder Seckens-Heil*/ celebrata, *Anagallis Punicea*. Notum etiam est Dn. D. Præsidi exemplum Vi-

ri cuiusdam, qui, cum diverforium in pago quodam ampliore instruens, a viatore quodam apud se diverrente, edoctus esset peculiarem quandam compositionem, e *quatuor* fortè *herbis* constantem; facto feliciter huius rei uno alteroque specimine, Animum posthac applicuit ad latius divulgandum suum artificium: unde susceptis in urbes celebriores Germaniæ excursionibus, impetravit certe ex harum plerisque, ampla, in formâ probante, testimonia, feliciter factæ ægrorum talium restitutionis. Fuerunt autem herbæ illæ e censu illarum, quæ famosum pulverem *Julii Palmarii* contra *morsum canis rabidi* ingrediuntur. Interim in medio utique adhuc relinquendum putamus, in primis in ipsa etiam adhuc *certitudine* huiusmodi rerum minus luculenta, quid ipsis in veris atque sinceris *mentalibus vitiis* tribuere integrum esse possit; aut quid in *corporeis* potius, *Melancholico-hypochondriacis* causis, tanquam fundamentum constituentibus, seorsim ipsis fidere sit integrum. In puella certè, quæ ex amore utique, sed suspicione etiam qualicunque philtiri concurrentis, mentis alienationem incurrerat, & inde artificis illius experimentum diu multumque usurpaverat, nihil esse tu dignum impetratum esse, satis scio Præses: quanquam in aliis, uno & altero, exemplis, etiam sensibilem in melius conversionem fecutam esse, satis certum sit.

L. Cum tamen interim *sanguinis* certè, *frigidior* constitutio in *μανιώσει*, *spissior* in hypochondriaco-melancholicis, *abundantior* communiter in utrisque, ad *fovendum* tale mentis malum, certò quam plurimum conferre possit. E re hinc omninò est, ut huiusmodi circumstantiæ in decentem considerationem veniant, & nihil etiam in hoc genere negligatur. Novimus exempla huius rei ubi v.g. Foemina, quæ e fumo terrore repentini tumultus inter villicos & milites coorti, & ita exasperata, ut etiam unus horum e fustis ictu simul & semel mortuus collaberetur, cum aliàs jam pensitabundæ esset indolis, in tam desinentem incidit in fausti huius eventus representatione atq; recollectionem, ut Idæa collapsi, cruenti, mortui, incessabili velut intuitu, cum perpetuo terrore & anxietate inhæreret, & jam in

ter-

tertiam septimanam dies noctesque perpetuo planctu, anxio admiratione, & tristissimo gemitu hoc infortunium detestaretur, nullius, neque corporis nec Animi, quietis particeps. Hæc cum ad Medici opem deducta esset in conspectum, & hic illa quidem adhuc qua venerat, vespera, par pulverum *Nitrosorum* præbuisset, & ante introitum lecti *pediluvium* adhibendum ordinasset, in alterum autem manè etiam *VStionem in pede* præscripsisset, illa quidem, ab his *pulveribus* & *pediluvio*, per totam noctem *dormiendi* compos facta, cum sequente in super manè etiam *VStionem* adhibuisset, sana per Dei gratiam domum reversa est. Altera verò scœmina, cum è repentino *terrore*, summo *pudore*, gravissima sed supprimenda *iracundia*, & durabii hinc etiam *indignatione*, in deliram mentis impotentiam, ad qualescunque usque violentiores actiones suscipiendas, prolapsa esset, & in hac ipsa perturbatione, jam plus quatuor septimanis perstitisset, omnia quæ poterat attingere, *frangens* atque *rumpens*, & ipsas adeò *vestes*, ad *indusum* usque *diripiens* atque *dilacerans*, imò eo usque tandem obstinationis progressa, ut jam ad secundi diei vesperam, non solum *edere*, sed omninò etiam *bibere*, refragaretur: cum tandem placidis Medici admonitionibus dedisset, ut biberet, de cerevisia *Nitro* largius alterata, superveniente, altero post die, sub sic satis largol hujusmodi cerevisiæ potu, *mensium* ubere fluxu, *placationem*, quam statim ab hujus potus usu, placida per noctem *quiete*, auspicata erat, ita prosecuta est, ut per aliquot sequentes dies minùs minùsque ullius incommodi conceptus reminiscens, ab illa ipsa vespera factò initio, intra unam propemodum septimanam, ad sanam mentem reversa sit. Certè verò inter *subsidia secundaria*, & *somiti*, atque *causæ conjunctæ*, deliriorum omnium generis *chronicorum*, ad minimum exacerbatorum capacius resistentia, referendam esse *sanguinis* prudentem *ventilationem*, nemo peritè illam expertus, dubitare poterit.

LI. Ab eodem autem fundamento pendet certè etiam effectus *Nitri*, omninò utique in similibus effectibus, dextro usu summam laudem promerentis: si nempe ea etiam *moderatio*

ratione, repetitione, atque continuatione, usurpetur, ut vulgò infimulatas (certissimè autem, nisi per summam fortassis in-temperantiam, nunquam inveniendas,) illas atonias ventriculi, nequaquam post se trahere possit, qua de re plura monuit Dn. D. Præses mens. Mart. de usu Nitri polychestro.

XLII. Quantum ad corporales causas attinet, sicut harum præcipuæ sunt, *sanguinis hypochondriacæ* progrediendi difficultas; & *spermaticarum* excretionum, *incitatarum* quidem, sed exitu carentium, (de qua re oppidò notabilis est locus seu casus apud *Nic. Blegny in Zodiac. Gall. de Moniali*, è furore uterino tandem Maniaco, demortua, quæ sectione examinata, unum testiculum exhibuit, pugni magnitudine, & numerosis vesiculis, racemi uvarum instar, tumentem) uti veteres propterea loqui amaverunt, *virulentia*; nempe, propter hanc apparentem malignitatem, uti certè Veteres propemodum recentioribus fideliter præiverunt, *materiali* efficacia mentem alienandi. Et hæc quidem *Chronicorum* deliriorum causæ sunt velut eminentiores: sicuti tanquam à qualicumque *regurgitatione*, (& quidem ex illa *Corporalistarum*, sententia, simpliciter *corporali* agendi ratione) excretionum, v. g. *hæmorrhoidalium*, aut *ulcerosarum* in inferioribus partibus, imò vel in ipsa vicinia, circà caput, *Maniodes deliria* aliquando coarctari, variæ practitorum historiæ confitentur. His itaque talibus deliriis, rationi utique consonum est, melius, ne dicam aliter, subveniri non posse, nisi per hujusmodi vitiorum *corporalium* sublationem. Ubi, sicuti verè *aperitiva, attenuantia*, atque *resolventia, Antihypochondriaca*, officium & debent utique, & siquidem nomini suo paria sint, etiam possunt, perficere: Ita, quænam illa & qualia esse possint aut debeant, tanquam rem alterius loci, hic prolixius commemorare, super vacuum judicamus. Sicut etiam quæ veneris incitamentis temperandis inserviant, è suis locis *Therapeutico-practicis* petenda sunt, cavendo tamen ab inanibus commendationibus, & antè omnia, tanquam directæ efficacis *Campboræ*: Cujus elogium, in sola fortè *Schola Salernitana* inveniendum, quod *castret odore mares*, ut ab omni experimento alienum,

num, ita verifimiliùs videri potest à Poëtica phantasia metrica ortum duxiffe, & phraseologia gemina, nempe Tropica; ut *mares* quidem, ad consonantiam cum *nares* obtinendam, positum sit: *castrare* verò *odore*, non intelligendum de energia *instrumentali*, tanquam castrare *per* odorem: sed de castratione *objectivâ*, odore castrare, odorem seu olfactum *auferre*, *olfactu* privare, adhuc verifimiliùs intelligendum videatur. Practici certè omnes, qui hujus rei sinceram mentionem faciunt, non frustra aspernantur traditionis vanitatem. Plus autem certè sine dubio hic potest Nitrum; minimè tamen præsentaneo promptissimo effectu, sed omninò multo, imò *prodigo usu*, neque magis solum *interno*, quam etiam *externo*, in maribus circa testiculos Epithematis forma, cum aceto, applicando, &c.

LIII. Ita verò etiam *acuta deliria*, v. g. Febris supervenientia, in primis autem vehementissima & contumacia, *phrenetica*, *directis* remediis nequaquam obsequuntur: sed vel totius Febris, quanta fieri potest, solertissimæ tractationi, vel nullis aliis remediis, cedunt, *positivè*: *privativè* verò, cavendum est rerum suarum cordatè satagentibus, ne *occafio* ipsa ortui hujusmodi malorum eventuum subministretur, per intempestivum usum *Narcoticorum*, qualem *altero* aut *tertio* post *indicatorios* die, (si ipsis indicatoriis, aut proxime, licentiùs offeratur *Opium*), deliria talia, vix unquam sine certo sine exitu, subsequi omninò consueverunt. Adhibentur quidem tunc, ab antiquis practicis, *attractiva* ad plantas pedum, *repellentia* ad verticem, imò emissiones etiam è *vena frontis*, & *raninis*, (sicut *Aegyptii*, Prosper. Alpini ætate, *scarificationem* suam in *naris* sine dubio adhibuissent) sed effectus salutaris horum ipsorum etiam talium, *xuglos* utique annumerandus est rebus *contingentibus*, nec proinde in rei veritate, ulla fiducia dignam certitudinem admittit.

LIV. Ultimam in locum conijcere visum est, rem sincerè omnibus respectibus impeditißimam, *Hydrophobiam*, & *rabie* *caninam*, è *morsu canis rabidi*; aut *lupinam*, è *lupirabidi*

di morfu : (cujus exemplum tristissimæ efficacæ mente recolo Præses, ubi, à lupi rabidi morfu, quindecim homines, imprudentius circà ejus trucidationem occupati, per ignorantiam prompti remedii, omnes rabie correpti interierunt.) *Lycanthropia*, cum per divinam gratiam, nempe *physica*, in nostris regionibus incognita sit; nec etiam illa ejus species facilè invenienda, cui alias plures, tam Physici, quam Theologi, qualiacunq; phœnomena *Lycanthropicæ*, ubi illa evenire prætenditur, assignant, nempe veri lupi *obsessio à Diabolo*, atque ita tristium facinorum perpetratio, facilè in fide dignam considerationem veniat (nisi quod ego Præses recorder exempli talis, quod ante 12. circiter annos in Marchionatu Anspachico, plurium hominum morte, hujus Satanicæ fallaciæ, suspectum fuit) talia autem etiam *rabida contagia*, vix nisi per *Specifica* ullam bonam spem admittant: sufficere proinde poterit, etiam illorum brevem commemorationem præstitisse. Certissimè omnium medetur morfu *canis rabidi*, *hepar* rabidi canis; si non numero ejusdem, tamen *specie* gemini, nondum nimia diuturnitate corruptum, sed à sufficiente totione exiccatoria, (minimè tamen adustoria) ad constantiorem durationem prædispositum. De *sordis* è simili cane, pari efficaciam, testatur observationes *Gückelii*. Lupi etiam *hepar*, valuisse ad *canis rabidi* morfum; & lupi quidem non rabidi, sed à venatione solum anxii, scio exemplum memoratu, nisi tempus excusaret, certè dignissimum. Cœterum quid *Ful. Palmarius* pulveri suo (uti passim, ita etiam in tabula *Sinaragdina* dicta *Fraendorfferi* inveniendò;) tanquam infallibiliter tribuat, invenire licet apud eundem. Non indigna autem memoratu est assertio, quam *Weichardus*, in *Thezaur. pharmaceutico*, confidentissimè adstruit, de notissimis illis *Scarabæis Majalibus* volatilibus, qui alicubi arborum, alicubi vitium, teneras frondes destruentes, cœterò quoniam infantibus strepitu suo ludibrium præbent. Quos melle submersos, ab uno anno ad alterum asservatos, ad insuavos ejusmodi casus indubitatæ efficaciam esse pollicetur, si è tribus fortè talibus fortiter expressus eorundem, ita cum melle, succus, patientibus in singulos dies exhibeatur. Nota verò de reliquo etiam est antiquissima traditio, de efficaciam in hoc genere, Aquæ marinæ: Laudata verò etiam mihi Præsidià Viro Generoso, in temerata aliàs fidei, tanquam certa experientia, limatura Orichalci ad 3j. data; quæ ut aliis pluribus ita lesis, ita etiam proprio ipsius filio saluti fuisse, ab ipso asseretur, &c.

TANTUM.

SOLI DEO GLORIA.






Halle, Diss., 1708 H-Sto



f
sb.





18 6

EDICA-INAUGURALIS
DE
MORBIS,
Quam
OPTIMO MAXIMO,
BENEFICENTISSIMO,
PRINCIPE AC DOMINO,
JOHANNES WILHELMO,
Æ, MARCHIONE BRAN-
CO, CETERA,
STATIS MEDICÆ CONSENSU,
FRIDERICIANA
RÆSIDIO
ERNESTI STAHL,
ESS. PUBL. ORDINAR.
LT. DECANI,
SUI ÆTATEM DEVENERANDI,
PER LICENTIA
CA Honores, Jura & Privilegia
ultimo modo consequendi
III. horis ante & pomeridianis
TORIO MAJORI
im Disquisitioni exponet
PHILIPPUS SCHMIDT,
ga Guestphalus.
ERIS CHR. HENCKELII, ACAD. TYP.

118

1708, 16d

Handwritten red mark resembling a stylized 'S' or '5' with a diagonal slash.

